DE NATIVITATE
DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI EX SECVNDO CAPITE D. LVCÆ EVANG. DOCTA ET PIA EXPLICATIO.

Authore Henrico Luytenio ſacræ Theologiæ baccalaureo, & eccleſiæ Metropolitanæ Mechlinienſis canonico.

ITEM

De ſeptem donis Spiritus ſancti,
De quatuor virtutibus Cardinalibus, &
De octo beatitudinibus: cum libello
De Spiritus ſancti miſſione,

Omnia eodem authore.

ANTVERPIÆ,
Excudebat Antonio Tileno C. Plantinus.

M. D. LXV.

CVM PRIVILEGIO.

Cautum est Regis authoritate, ne quis libros, quorum titulus est, *Enarrationes Euangeliorum dominicaliũ, &c. authore Henrico Luytenio Mechliniano, Theologo* : item, *Libellus de natiuitate D. nostri Iesu Christi, eodem authore*, hinc ad sexennium imprimat, aut diuendat, excepto Antonio Tilenio, cui specialiter indultum est priuilegium. Pœna eius, qui contrà fecerit, est in sanctione æstimata, vt in singulos libros sex florenorum pretio multetur, & libri impressi, aut inter promercales habiti fisco applicentur. Datum Bruxellis 23. Nouembris, M. D. LXIIII. Signat.

De Zoete.

REVERENDO IN CHRISTO Patri, ac domino imprimis venerabili, domino Thomæ à Tielt, Mechliniano, insignis monasterij S. Bernardi supra Scaldam siti Abbati vigilantissimo, Henricus Luytenius Mechlinianus S. D.

QVIA vigilantissimum ecclesiæ veteris Busci, reuerēde Pater, pastorem egisti, eā que quā optimè rexisti, partim diligētia, quā in tuis erudiendis adhibebas subditis: partim bono exemplo, quod eis præbuisti, singularis vitæ: idcirco inuictissimo nostro regi placuit, dum per suam Curiā tuarum singularium virtutū certior factus esset, te egregio illi S. Bernardi monasterio præficere, vt & ibi tāta diligentia, & honesta conuersatione praeesses. Id quod iam quàm diligentissimè non solùm in tuo, verùm etiam in alijs monasterijs tuæ iurisdictioni subiectis cum maxima exequeris gratia, adeò vt ab omnibus mirum in modum diligaris. Vt igitur & meus iste libellus de natiuitate Domini nostri Iesu Christi conscriptus, propter te & ab omnibus ametur, & desideretur, eum tibi, sacratissime Pater, dedico. Datum Mechliniæ, decimo sexto calendas Decembreis, anno M.D.LXIIII.

Pio Lectori Henricus Luytenius S. D.

Hæc si grata, acceptáque cognouero, optime Lector, propediem plura in lucem dabo: habeo namque penes me Enarrationes Euangeliorum dominicalium à prima dominica Aduentus vsque ad dominicam Septuagesimæ simili modo elaboratas, quas prælo committere statui, modò vos tam diligentes præstetis emptores, vt ego nihil inde detrimenti patiar. Deinde anno futuro, fauente Deo enarrationes Euangeliorum dominicalium à Septuagesima vsque ad festum Paschæ eodem studio exornatas in omnium studiosorum gratiam imprimi curabo: & sic deinceps, quousque fuerit per Dei gratiam omnium finis. Bene vale, & his meis sudoribus fruere. Mechliniæ, decimo quinto calendas Decembris, anno à Christo nato M.D.LXIIII.

ENARRATIONIS EVANgelij primæ missæ in festo Natiuitatis Domini,

CAPVT PRIMVM.

Euangelium missæ gallicantus describitur nobis Lucæ secundo, a.

FACTVM est autem in diebus illis] Anno nimirum 42. imperij Octauiani. Quãuis enim Euangelista non dicat quo anno vel imperij vel ætatis: notam tamen, qua in huius cognitionem peruenire licet, certissimam tradit, dum ait eo tempore natũ, quo Augustus decretum dedit, vt describeretur vniuersus orbis. Hoc autem vt discimus ex veteribus historijs, contigit anno imperij Cæsaris Augusti 42. quem Iosephus tunc monarcham fuisse, ac 57. annis ac medio imperasse refert. Sequitur,

Exijt edictum à Cæsare] Octauianus autem iste dictus est Cæsar à suo prædecessore, videlicet Iulio, cuius filia vxor Octauiani erat. Iulius autẽ vocatus est Cæsar, vel quia ex mortuę matris suę vtero per scissionẽ aperto extractus est, vel quia cum cesarie natus est, vel quia hostium cæsor fuit victoriosus. Vnde nomen hoc Cæsar successores eius sibi retinuisse leguntur: quemadmodum & Octauiano succedentes nomen Augusti ab illo sibi retinuerunt. Sequitur,

Augusto] Iste Octauianus adeò auxit rempub. & Romanum imperiũ, omnesque opes Romanorũ, vt cognominatus sit Augustus: nã victoriosissimus & fortunatissimus erat. Vnde tempore Traiani Imperatoris clamatũ est in Senatu: Nullus fœlicior Octauiano: nullus melior Traiano. Sequitur,

Vt describeretur.] Dauid aliquãdo populum Hebræum curauit describi & numerari, vt videre est secũdi Regum vltimo, & vehementer, ob hoc, peccato superbiæ deliquit: quare & grauiter à Domino punitus est. An autem hîc etiam simili facto peccarit Augustus, quorsum attinet nos hominẽ ethnicum excusare? non peccauit tamẽ, sed tantùm eo fecit animo vt per singulorum hominum capita accepta & congesta pe-

cunia, commodius regna ſua per totum orbem in pace tueretur. Et quamuis cenſus ille omnem mouerit Iudæorum aduerſus Romanos indignationem, vt videre eſt Matthæi vigeſimo ſecundo, dum dicunt: Licet cēſum dare Cæſari, an non? tamen neque ob hoc peccato obnoxius eſſet Auguſtus: quia & Paulus ait: ad Romanos 13. Reddite omnibus debita: cui tributum, tributum, cui vectigal, vectigal: cui honorem, honorem. Quid multa? nihil aliud reſpexit hîc Auguſtus, quàm temporalem regnorum ſuorum adminiſtrationem: quamuis interim per ipſum implere voluerit omnipotens Deus, quod ab æterno prædeſtinauerat fieri debere in filij ſui natiuitate: vt videlicet Chriſtus hac occaſione non ſolùm in Bethlehē, verùm etiam pacatiſſimo tempore naſceretur, vt inferiùs latiùs explicabitur. Sequitur,

Vniuerſus orbis.] Nā ſcire cupiebat Auguſtus, quot prouinciæ, quot ciuitates, quot caſtra, quot villæ, quot denique homines ſibi eſſent ſubiecti: vt quilibet cenſum penderet, tributum exolueret, quo ſe Romano ſubditum imperio profiteretur.

Verùm hîc quæſtio eſt, an ergo ſimpliciter loquendo ſubfuerit Octauiano vniuerſus orbis? Reſpondeo quòd non. Gothis enim non imperabat Auguſtus, non imperabat Armenijs. Quamuis autem hi Auguſto non ſubfuerint, tamen quia principales ſub ſe habuit vniuerſi partes, rectè ab Euangeliſta vniuerſus orbis ſub eo deſcriptus aſſeritur, vt Euangeliſta doceret Iudæos adeſſe iam tempus aduentus Chriſti, quando princeps prouinciarum facta eſt ſub tributo, vt illis præceperat futurum Hieremias Threnorum 7. Siquidem iam ablato de Iuda ſceptro, penes Romanos erat omne imperium, tum Iudæorum, tum penè orbis vniuerſi.

Nec hoc ſolùm voluit docere Euangeliſta, verùm etiam impletas eſſe prophetias de pace, quam prædixerunt prophetæ tempore aduentus Chriſti in carnem futuram. Siquidem multo iam tum tempore multa, magnaque bella geſſerāt Romani per vniuerſum orbem: ſicut multi veteres narrant hiſtorici, Titus Liuius, & nonnulli alij. Duodecim autem annis ante natiuitatem Chriſti tanta pax facta eſt, vt ſub ipſa Chriſti natiuitate totus orbis ſub vnico deſcriberetur Imperatore Auguſto: quod inſolitæ pacis & concordiæ ſignū extitit, adeò

vt eo ipso impleta sit prophetia,quam habemus Esaiæ 2.a. de Christo,hoc modo: Et iudicabit gentes, & arguet populos multos,& conflabunt gladios suos in vomeres, & lãceas suas in falces:non leuabit gens contra gentem gladium,nec exercebuntur vltrà ad prælium. Idem & Micheas consimilibus verbis commemorat capite quarto suæ prophetiæ. Rursus Esaias capite suæ prophetię 11.b.sic ait:Habitabit lupus cum agno,& pardus cum hœdo accubabit. Vitulus, & leo, & ouis simul morabuntur,& puer paruulus minabit eos.Hæc est admirabilis descriptio regni Christi.Ipso nato exurget aureum sæculum:quia gentes feræ & barbaræ,deposita sæuitia & crudelitate,sanctissimis studijs in vnitatẽ fidei cõspirabunt cum simplici & humili populo Dei. Nam per lupos,pardos, leones intelligũtur furiosi(ex quorum numero fuit Paulus) qui deinceps inter omnes Christianos habitarunt: non enim sermonem hîc esse de leone, lupo,pardo, quales vulgus intelligit,indicat illa clausula,quæ in Esaia quibusdam intermedijs sequitur:Quia repleta est terra scientia Domini,quæ causam continet dictorum,quam certum est non habere locum, nisi præcedentia omnia figuratè capiantur.Hæc igitur omnia de illa vniuersali pace prædicta sunt,quam scriptura huiusmodi verbis circumscribit.Huius pacis mentionem facit & propheta Dauid psalmo 45.b.dicens: Venite & videte opera Domini,quæ posuit prodigia super terram,auferens bella vsque ad finem terræ:arcum conteret,& confringet arma,& scuta comburet igni.& ad quem finem, subdit:Vacate & videte quoniá ego sum Deus: exaltabor in gentibus, & exaltabor in terra. sed quis iste est Deus?Dominus,inquit,virtutum nobiscum, susceptor noster,Deus Iacob:non enim vt repellat,sed vt suscipiat venit.Præterea psalm.71.In diebus eius orietur iustitia & abundantia pacis.In hac autem pace tanta natus est Christus,cuius quod Lucas signum dare potuisset certius, quàm vniuersum orbem vni subiectum esse domino,quem ipse per suos præfectos curarit describi?

Rogabis forsitan, quare Christus voluerit tempore tantæ pacis nasci?Ad præfigurandum,quòd hæc ei nascẽdi in mundo causa fuit,vt veram pectoris,ęternitatisque pacẽ omnibus in se credentibus daret,& genus humanum ad supernæ pacis dona reduceret,vt terrena cælestibus, homines Deo reconciliaret,

liaret, & eos tandem in æternæ fœlicitatis patria collocaret. Naſcebatur,inquam,Chriſtus,qui pacem,ſine qua nemo videbit Deum,amat, pacem quærit,pacem præcipit,pacem ſecum attulit,pacem ſuis Apoſtolis reliquit, pacem largitur,& in pace ſola habitat,hoc tantæ pacis tempore,vt per hoc quia pacem magnoperè quæreret ,& amaret,edoceret, & quia pacis,charitatiſque ſectatores ſemper inuiſere dignaretur,oſtenderet,vt nos eſſemus ſolliciti ſeruare vnitatem ſpiritus in vinculo pacis.

Vos itaque chariſſimi,dum auditis Chriſtum pacatiſſimo tempore natum, vt ipſe inter Deum & homines pacem conformaret,inter vos etiam pacem mutuam conſeruate,odium ex animis veſtris procul abijcite, vobis mutuò ſi quid delicti ſit,ex fraterna charitate condonate in honorem pacifici pueri Ieſu,& in ſuam cuiuſque animæ ſalutem. Sequitur,

Hæc deſcriptio prima facta eſt à præſide Syriæ Cyrino:] nõ quòd antea nulla facta ſit. Plures enim vel Ioſephus teſtatur fuiſſe factas:ſed quòd nulla antea tam generalis fuerit habita . Nam iſta , quam Octauianus fieri iuſſit loquendo de generali orbis deſcriptione, fuit prima:hanc enim alia talis non præceſſit: vel ſecundùm alios dicitur prima quantum ad alias partes eiuſdem deſcriptionis : quia ibi fuit primò inchoata iſta deſcriptio , vt inde circulariter in alijs denunciaretur fieri prouincijs.Quia enim Iudęa in medio terrę habitabilis dicitur eſſe ſita , decretum erat,vt hæc deſcriptio in ea inciperetur,& deinde per circumſtantes regiones compleretur.Hæc igitur deſcriptio primò incepta eſt fieri à præſide Syriæ Cyrino,nimirũ in Iudæa.Sub Syria enim cõprehẽdebatur Iudæa tanquã pars eius,nec tum temporis proprium habebat præſidẽ:Herodes enim rex Iudææ erat, non præſes.

Eſt & alia ratio,ob quam hæc deſcriptio incepta eſt in Iudæa,nimirum vt myſterium filij Dei iam incarnati agnoſceretur. Nam ſcriptum erat Pſalmo 86. iuxta Hebraicã lectionem:Dominus narrabit ſcribens populos,iſte natus eſt ibi,& cantabunt quaſi in choris omnes fortes mei in te:hoc eſt,Dominus cõmemorabit & recenſebit,dum deſcriberet populos, quòd inſignis ille natus eſt ibi,& cãtabunt quaſi in choris omnes angeli mei in te:quod factum eſt quando cecinernnt,Gloria in excelſis Deo,& in terra pax hominibus bonæ volũtatis.

Hinc

Hinc Esaiæ nono, lætabuntur coram te, ſicut qui lætantur in meſſe: ſicut exultant victores capta præda, quando diuidunt ſpolia. Dicitur autem cùm naſceretur, deſcripſiſſe populos, quia ad hoc apparuit in carne, vt de cunctis per orbem nationibus electos in vnitatem fidei colligeret, & nomina eorum, vt promiſit, in æternum in cælis conſcriberet. Hinc Lucæ 10. Gaudete quia nomina veſtra ſcripta ſunt in cælis. Econtrario de reprobis dicitur: Deleantur de libro viuentium, & cum iuſtis non ſcribantur. Qui autem non eſt inuentus in libro vitę inſcriptus, vt dicitur Apocalypſis 20. miſſus eſt in ſtagnum ignis. Ex quibus manifeſtum eſt, quòd deſcriptio illa, quam Auguſtus fieri curauit, fuit figura huius deſcriptionis, qua Chriſtus electos in libro conſcripſit vitæ. Sequitur,

Et ibant omnes] Faciunt quod factu neceſſarium fuit. Obediunt Cæſari, ſed non contra Deum. Nam & lex ipſa dicit reges & regna eſſe Dei ordinatione. Et Petrus etiam dyſcolis, modò contra Deum nihil iubeant, nos cupit obaudientes. Sequitur,

Vt profiterentur,] ſcilicet propria nomina, & cognomina. Nam homines ſua ſibi nomina dabant omnes, & ſeſe Romano ſubiectos eſſe imperio confitebantur. & hoc Imperatori ſoluendo cenſum, ſecundùm illud Matthæi 22. Reddite quæ ſunt Cæſaris, Cæſari, & quæ ſunt Dei, Deo. Dabatur autem in profeſſione denarius in ſedecem nummorum pondus, & Cæſaris imaginem & inſcriptionem habēs. Sequitur,

Singuli in ſuam ciuitatem,] nimirum de qua quiſque erat oriundus, & vnde duxerat originem, quamuis alibi natus fuiſſet. Hoc enim inſinuatur dum aſſignatur ratio, ob quam Ioſeph venit in Bethlehem, eo quòd eſſet de domo & familia Dauid: non autem dicitur, eò quòd natus eſſet in Bethlehem. Quamobrem cogebatur quiſque ad ſuæ proſapiæ traducem & patriam ſeſe recipere: non autem ad eum locum, in quo quiſque natus erat. Hinc ſequitur.

Aſcendit autem & Ioſeph à Galilæa de ciuitate Nazareth] In qua verbum caro factū eſt, & habitauit in nobis. Siquidem ciuitas hæc Nazareth eius conueniebat cōceptioni. Hinc Eſaiæ 11. ſecundùm aliam literam: Egredietur virga de radice Ieſſe, & Nazareus de radice eius aſcendet. Vnde Matthæi ſecundo, d. dicitur dictum eſſe per prophetas, quo-

niam Nazareus vocabitur. Sequitur,

In Iudæam in ciuitatem Dauid,quæ vocatur Bethlehem] Bethlehem autem vocatur ciuitas Dauid, non ſolùm quia in ea natus & educatus eſt Dauid, vt manifeſtũ eſt primo Regum decimo ſexto: verùm etiam quia inde originem traxit. Nam erat & eius pater Iſai Bethlehemita.

Porrò hoc magna recogitatione dignum eſt,quòd diligenter adeò deſcribit Euangeliſta vnde exierit Ioſeph, quia à Galilæa de ciuitate Nazareth abijt in Bethlehem Iudæ. Siquidem alia quoque erat Bethlehem in tribu Zabulon, vt ex capite decimo nono Ioſue liquet apertiùs: ad cuius differentiam hîc Euangeliſta Bethlehem hanc dicit in Iudæa ſitam, vt ſic meliùs cum prophetia quinto capite Micheæ deſcripta conueniret, quæ ſic habet: Et tu Bethlehem Ephrata, paruulus es in millibus Iuda:ex te mihi egredietur, qui ſit dominator in Iſraël,& egreſſus eius ab initio à diebus æternitatis. hoc eſt,oppidulum licet ſis paruulum,haud quaquam tamen ignobilis eris ô Bethlehem Ephrata: digna ſiquidem es, quæ omni laude extollaris in aſtra:quia ex te quantumuis paruula & contempta prodibit mihi qui ſit dominator in Iſraël,& egreſſus eius ab initio à diebus æternitatis. Quare diuinitus conſtat eſſe procuratum, vt ad ſuam quiſque ciuitatem pergens ibi nomen ſuum profiteretur: quatenus parentes noſtri Seruatoris illo generali edicto compulſi de Nazareth in ciuitatem Bethlehem venirent, vt ea occaſione Chriſtus in ea naſceretur.quod ita futurum ab æterno erat ordinatum,temporaliter promiſſum,& prophetatum. Sicut igitur mediator Dei & hominum tempora natiuitatis, quæ voluit, præuidit, imò ipſe ea qualia voluit eſſe,donauit, vt ſopito turbine bellorum,noua pacis tranquillitas totum illuſtraret orbem : ita etiam locum natiuitatis,quem voluit,elegit,adeò vt nihil horum fortuitò contigerit: ſed omnia diuino conſilio procurata ſint. Quamobrem laudabiliter parentes noſtri Seruatoris fecerunt,quòd edicto Cæſaris quãuis gentilis & ethnici obedierunt,erudientes nos,vt in omni timore ſubditi ſimus dominis non tantùm bonis & modeſtis, ſed etiam dyſcolis, & prophanis.Siquidem hinc perſpicitis, quomodo Octauianus Auguſtus neſciens diuinæ diſpenſationi inſeruierit. Edicto nanque promulgato data eſt Mariæ & Ioſepho occaſio ve-

niendi Bethlehē, quò quicquid adhuc reliquiarum Dauidicæ stirpis superfuit, pedem conferre cogebatur. Hinc sequitur,

Eo quòd esset de domo & familia Dauid.] hoc est, eò quòd Ioseph non solùm ex tribu Iuda esset, verùm etiam genus duceret è progenie & stirpe Dauidis, ex cuius semine promissus fuerat Christus. Vnde liquet Mariam quoque eiusdem propaginis sobolem sacram extitisse, & de eadem tribu & familia fuisse. Quia lege cautum erat, ne quis ex alia tribu quàm sua vxorem sibi adscisceret, & ne mulier nisi suæ tribus viro nuberet: Sequitur,

Vt profiteretur,] non igitur animi causa, sed vt Imperatoris edicto satisfaceret, in Bethlehem ascendit. Hinc discimus omnes quanto studio debeamus superiorum nostrorum mandatis, in his maximè rebus, quæ pietati non officiūt obedire. Secundùm illud primæ Petri secundo, c. Subiecti igitur estote omni humanæ creaturæ propter Dominum: siue Regi quasi præcellenti: siue ducibus tanquam ab eo missis, ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum. Deinde ibidem paulò pòst: Serui subditi estote in omni timore dominis, non tantùm bonis & modestis, sed etiam dyscolis. Sequitur,

Cum Maria.] Nam voluit & ipsa quantūuis partui vicina Imperiali edicto obedire, vt posset cū filio dicere illud Matt. 3.d. Sic decet nos implere omnem iustitiam. Sequitur,

Desponsata sibi vxore,] non solùm per verba de futuro, quasi ibi duntaxat fuisset de futuro matrimonio pollicitatio: verùm etiam per verba de præsenti, quæ eos verè coniuges efficerent, fuerat legitima coniunctio. Hinc & ipse angelus beatam virginem vocat coniugem Matth. 1. dicens: Ioseph fili Dauid noli timere accipere Mariam coniugē tuam: quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est. Vnde manifestum est, quòd perfectum inter Ioseph & Mariam extitit coniugium. Perfectum quidem non significatione, sed sanctitate. Perfectum etiam secundùm triplex coniugij bonum, scilicet fidem, prolem, & sacramentum. Prolem agnonimus ipsum Dominum: fidem, quia nullum adulterium: sacramentū, quia nullum diuortium. Solus nuptialis concubitus ibi non fuit, & ob id perfectum non extitit significatione, sed bene sanctitate. Alioqui famæ beatæ virginis, ipsa apparēte vtero grauida, non fuisset satis prospectum atque prouisum: puella enim

enim non coniugata infamis est,grauida si fuerit inuenta.

Maria autem dicta est non simpliciter vxor, sed duntaxat vxor desponsata,quamuis per verba de præsenti fuerit Iosepho legitimè coniuncta: vt secundùm rem veneream non vxor,sed vxor desponsata, hoc est, incognita significaretur. Hinc aduerte,quàm candidè hoc exprimat Euangelista, vt omnibus innotesceret Mariam non ex virili semine, sed admiranda Spiritus sancti virtute concepisse. Dicit enim eam desponsatam,innuens quòd solis sponsalibus præcedentibus est conceptio subsecuta.

Coniugiũ ergo hoc sic procurauit Deus(sicut haud dubiè res omnes credere existimo)vt Maria & coniunx,& mater,& virgo esset,vt nec coniugium virginitati, nec virginitas aliqua in re coniugio præiudicaret. Inspirauerat enim Deus vtrique coniugum, vt in sancto hoc coniugio illibatam veramque conseruarent virginitatem.

Prægnante] Hic iam impleta est prophetia illa Hieremiæ 31 .d. Creauit Dominus nouum super terram: fœmina circumdabit virum. Siquidem Iesus vir erat, necdum etiam natus,non ætate, sed sapientia: non viribus corporis, sed animi vigore:non corpulentia membrorum, sed maturitate sensuum.Neque enim minus habuit sapientiæ Iesus conceptus,quàm natus,paruus,quàm magnus.

ENARRATIONIS EVANGELII MISSAE GALLICANTVS IN FESTO NATIVITATIS DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI, CAPVT II.

FACTVM est autem, cùm essent ibi,] nimirunt Bethlehem: ibi enim Christum nasci oportebat. Commodiùs longè Maria Nazareth, vbi indigena morabatur,parere poterat:sed Regem gloriæ Christum Iesum Bethlehem eniti oportuit,quia sic & Altissimo placuit, & per prophetam Micheam,vt prædictum est,nunciatum fuit.Hoc autem & diua virgo antequam eò ascenderet præsciebat: ipsa enim Spiritu sancto plena omnia prophetarũ mysteria, quàm hi qui prophetauerant, clariùs intellexit:nec solùm ex prophetis, verùm etiam

rūmetiam Spiritusſancto reuelante nouerat antequàm Bethlehem adiret, ibi ſe parituram. Hinc ſequitur,

Et impleti ſunt dies, vt pareret.] Rogabis fortaſſis quare Euangeliſta non ſimpliciter ſcripſerit Mariam peperiſſe, ſed præmiſerit impletum fuiſſe tempus vt pareret. Sunt forſan, qui putent hoc ſic dictum eſſe, vt intelligamus ſanctam hanc virginem non abortiuiſſe. Verùm de hoc nulla eſt quęſtio. Quid igitur? Mariæ pariendi tempus impletum eſt, vt intelligamus rem à Deo pollicitam non ſolùm impleri & fieri, ſed etiam omnes rei circunſtantias. Nam ſi id quod minimum eſt, videlicet tempus impleatur, non dubium eſt quin & reliqua, quæ ad rei ſubſtantiam pertinent, impleantur. Atque ob hoc conditor naturæ tempus quod naturæ præfixerat, obſeruari voluit. Præterea hinc cōſtat ea, quæ à Deo promittuntur, non ſolùm fieri, ſed impleri etiam. hoc eſt, ita fieri, vt nihil planè deſit: nam opera Dei pleniſſima & perfectiſſima ſunt. Quapropter de Dei promiſſis nequaquam eſt dubitandum: ſed certò ſtatuendum omnia pleniſſimè & perfectiſſimè eſſe implenda, quæ à Deo promittuntur. Quamuis ergo Maria virgo eſſet, & in eo ſtatu ad liberos procreandos inhabilis: tamen impletum eſt tempus pariendi Mariæ, adeò vt nulla ex parte aliquid deeſſet, etiam ſi viderentur omnia diuerſum teſtari, vt intelligamus Deum non eſſe alligatum ordini naturæ, ſed ſuas res exequi tum maximè, quando minus ſperatur. Sequitur,

Et peperit filium ſuum,] videlicet natutali via per genitalia membra, alioqui non genuiſſet, nec peperiſſet. Hinc canimus in primo nocturno matutinarum huius diei: Et exiuit per auream portam lux & decus vniuerſæ fabricæ mundi. Nec turpe eſt Chriſto, quòd per genitalia virginis eſt natus, quia hoc non derogat perfectioni virtutis eius: quanto enim humiliora paſſus eſt, tanto manifeſtior redditur eius humilitas. Sed quia virginitatis priuatio præiudicaret perfectioni matris ex parte virtutis animæ, ideo ne Dei genitrix Maria virginitate careret, ſed quoad omnes animæ virtutes perfecta ſemper exiſteret (talem enim matrem Chriſtus habere volebat) miraculoſè peperit, nimirum porta permanente clauſa, & materni pudoris ſignaculo minimè reſerato. Et quamuis ſecūdùm naturæ curſum duo corpora ſimul in eodem

dem

dem loco esse non possint, id tamen per miraculum & supernaturaliter fieri potuit. Quamobrem factum illud quod Euangelista protulit tempore Dominicæ resurrectionis, dignè mihi vsurpem etiam tempore natiuitatis, cum Ioanne, dicendo: Venit Iesus ianuis clausis, & stetit in medio. Quid hic rationem quęrimus? quid intellectum fatigamus humanum? generationem eius quis enarrabit? quid nouitatē stupemus, vbi cernimus maiestatem? Quamobrem hic non cōsideretur parientis conditio: sed nascentis arbitrium, qui sic homo natus est vt volebat & poterat. Siquidem partus hic totus & conceptus re vera extitit miraculosus. Author enim in carne nascendi Deus est, teste angelo ad beatam virginem Mariam: Quia Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi, ideoque quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei. Hanc igitur non humanus coitus, sed Spiritus S. fœcundauit: & cùm in omnibus matribus non fiat sine peccati sorde conceptio, hæc inde purgationem traxit, vnde concepit: quò enim humani seminis transfusio non peruenit, peccati se illic origo non miscuit. Quid igitur mirum, si extitit diuina natiuitas, vbi nō erat humana cōceptio? Si illam matrem non violauit partus, quam coitus non fedauit? Et verè talis Saluatorem mundi decebat ingressus, vt qui humani generis veniebat peccata mundare, præ cęteris vt mundiùs nasceretur, & humanæ carnis inquinamenta nesciret. Venit enim Dominus noster Iesus Christus contagia nostra auferre, non perpeti, nec succumbere vitijs, sed mederi: venit vt omnem languorem corruptionis & vniuersa vulnera sordētium curaret animarum. Quapropter non decebat, vt qui ad hoc venerat, vt violata in integrum restitueret, aliquid de materna integritate violaret. Quare oportuit vt nouo nasceretur ordine, qui nouam impollutæ synceritatis gratiam humanis corporibus inferre volebat. humano vsu & consuetudine, quod credimus, caret: sed diuina authoritate subnixum est, quòd virgo concepit, virgo peperit, & virgo permansit: nam fons apud Salomonem Canticorum 4.c. conclusus & hortus cōsignatus permanere debuit. Hinc & Ezechielis 44. a. dicitur: Et conuertit me ad viam portæ sanctuarij exterioris, quæ respiciebat ad Orientē, & erat clausa: & dixit Dominus ad me, Porta hęc clausa erit, nō aperietur, & vir non transibit

ſibit per eam: quoniã Dominus Deus Iſraël ingreſſus eſt per eam, eritque clauſa principi. Princeps ipſe ſedebit in ea, vt comedat panẽ coram Domino. Per viã portæ veſtibuli ingredietur, & per viã eius egredietur. Quid eſt autẽ porta in domo Domini clauſa, niſi quòd Maria ſemper erit intacta? quid eſt, vir non tranſibit per eam, niſi quòd Ioſeph non cognoſcet eam? quid eſt, Dominus ſolus intrat, & egredietur per eã, niſi quòd Spiritus ſanctus impregnabit eam, & angelorum dominus naſcetur per eã? & quid eſt, clauſa erit in æternum, niſi quòd Maria virgo eſt ante partum, virgo in partu, & virgo poſt partum, adeò vt ei proprium priuilegium ſit, quod nulla mulierũ nec antè, nec deinceps obtinere meruit, quòd ſimul & mater & virgo eſt, ſingulis titulis inſignita? Quapropter hîc impleta eſt prophetia Eſaiæ 7.c. Ecce virgo concipiet & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emanuel: butyrũ, & mel comedet, vt ſciat reprobare malum, & eligere bonum. Vnde in Chriſto ex vtero virginis genito, non quia natiuitas eſt mirabilis, ideo eſt natura diſſimilis: qui enim verus eſt Deus, idẽ verus eſt homo, & nullum eſt in vtraque ſubſtantia mendacium. Siquidem verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis. Credendum eſt igitur cuilibet Chriſtiano non aliter Chriſtum ex intemerato natum eſſe virginis vtero, quàm ſicut clauſo reſurrexit ſepulchro, & clauſis ad diſcipulos ſuos foribus ingreſſus eſt.

Prçterea peperit ſupernaturaliter & miraculoſè. Nam medicum dolorum noſtrorum ſine dolore peperit. Si enim clauſo prodierit matris vtero, vt iam ſatis oſtẽſum eſſe exiſtimo, fieri non potuit, vt aliquem ſenſerit mater dolorem nam extemporaliter, & ſine labore peperit. Hinc Eſaiæ cap. 66. Antequam parturiret, peperit: antequam veniret partus eius, peperit maſculum. hoc eſt, priuſquàm partus dolorem ſentiret, peperit: priuſquàm veniret dolor ex partu, effugit, & peperit maſculum. Quis (inquit Eſaias) audiuit vnquam tale, & quis vidit huic ſimile? quaſi dicat, nullus. Siquidem in omni partu aliqua partum præcedit parturitio: in hoc verò partu parturitio nulla præceſſit.

Præterea ſine tormento peperit, quia in conceptione venerea voluptate caruit: æquum enim erat vt immaculata virginitas, quæ concupiſcentiam neſciebat, à dolore parturien-

rientiũ aliena exiſteret. Sicut igitur eum ſine carnali delectatione, cum ineffabili ſpirituali gaudio, & ſpiritu eius exultante in Deo ſalutari ſuo concepit; ſic quoque eundem genibus flexis, in oratione conſtituta, abſque corporali dolore, cum ingenti ſpirituali lætitia quaſi in ictu oculi peperit: quem vbi ante ſe iacentem vidit, eum tanquam Deum ſuum ilico adorauit, iuxta illud eccleſiæ cãticum: Ipſum quem genuit, adorauit. Quia igitur dolor omnis abſuit, maledictio Euæ in ea locum non habuit. Sequitur.

Primogenitum]. Quod non ſic accipiendum eſt quaſi alios deinde poſt Chriſtum Maria peperiſſet filios, ſicut impius aſſeruit Heluidius: ſed quòd ante eum nullus ex Maria natus ſit. Sic enim in lege accipitur, primogenitũ, dum omne primogenitum Deo offerri iubetur: vt primogenitum non ſolùm intelligamus eum, quem fratres ſequuntur, ſed etiam eum, qui primus natus eſt, etiam ſi nulla alia ſoboles ſequatur. Alioqui ſi non eſſet primogenitus, niſi quem fratres ſequuntur: tam diu ſecundùm legem primogenita non deberentur, quamdiu & alia non eſſent procreata, quod manifeſtum eſt eſſe falſum. Cùm enim lex ſtatim poſt vnũ menſem omne primogenitum Domino offerre præcipiat, & oblatum redimi mãdet, quis non intelligat, ſine alicuius relatione primogenita dici, cùm nihil adhuc genitum ſit, ad quod hoc primogenitum referre poſſit? Quid ſi mater illico mortua fuerit, vel vlterius filium non genuerit, nunquid idcirco ille, qui ex ea iam natus eſt, non erit primogenitus, nec poſt vnũ menſem Deo offerendus? abſit. Siquidem multi tunc erant vnigeniti in populo Iudæorum, qui tamen propter illud præceptum non ſolùm Deo offerebantur, verùm etiam offerri neceſſarium erat.

Cæterùm, quia in veteri teſtamento magna ſemper dignitas extitit primogenituræ: ideo vt eum honorẽ Chriſto quoque tribueret Euangeliſta, eum primogenitum vocauit. Idque longè conuenientiùs quàm ſi vnigenitum nominaſſet: quia ad hoc tẽporaliter naſci voluit ex matre ſecundũ carnẽ, vt multos fratres acquireret per S. regenerationem. Vnde & Paulus ad Romanos primo eum appellat primogenitum in multis fratribus. Dicitur & primogenitus, quoniam dignior vniuerſis, ſeu inter genitos primatum tenens. Quid multa?

Primo-

Primogenitus ille fuit matris suæ in humana natura: primogenitus fuit in susceptione humanitatis in gratia: primogenitus & vnigenitus in tempore: qui primogenitus & vnigenitus erat in ęternitate. Vnigenitus in substantia diuinitatis, qui nocte hodierna in hunc mundum natus est in tempore, sicut ab æterno exijt à Patre. Sequitur,

Et pannis eum inuoluit.] Ecce nullus dolor matris, nulla naturæ contumelia in puerperio, nlula obsequia obstetricis, aut alterius mulieris, nullius ad infantē vestiendum auxilium, sed ipsa eundem pannis inuoluit, ipsa & mater, & obstetrix fuit. Attrectat, amplectitur, iungit oscula, & fons sacri pectoris defecatum edulium, & puram alimoniam ori mundissimo infundit. totum negocium plenum gaudio.

Discant hinc mulieres suorum infantium eodem modo gerere curam, quēadmodum diua virgo gessit. Ecce ipsa puerum Iesum non tradidit nutricibus, quas ob pietatem nolebat, ob paupertatem non habebat: sed ipsa fasciolis inuoluit, & reliqua omnia, quæ matris erant officia, exercere non destitit, adeò vt toto pectore his incumberet, & manibus, pedibusque obnixè omnia faceret. Id quod & aliæ matres facere debent si pueros suos probè curatos & educatos velint. Quare malè faciunt, quæ nulla necessitate coactæ statim postquam pepererint suos infantes, aliò rransmittunt, non volentes vllam habere molestiam, sed totum laborem in alias reijcientes fœminas, adeò vt ne lac quidem præbeant. quod quàm rectè, ipsæ viderint. Aliæ longè deteriùs faciunt, quæ cùm sciant se non posse vllo modo ob lactis penuriam alere infantes, nihilominus eos abijciunt & relinquunt, non prouidentes eis nutricem. Vt interim taceam eas peccare grauissimè, quę nimirum eos occidunt, ne virgines non habeantur. Verùm hæc missa faciamus, vt ad institutum recurrat oratio. Fascijs itaque eum obuinxit. O sacramentum inenarrabile: hodie verbum Dei, quod nunquam fuit humanis oculis visibile, cœpit etiam manibus esse tractabile. Ille qui cæli ambitu non continetur, exiguis pro nobis pannis contegitur: ille qui cælum, terram, solem, lunam, stellas, & omnia quæ vsquam sunt, condidit, puerilibus pro nobis fasciolis inuoluitur: ille qui potenti manu suam immēsam illam molem corporum cælestium circumagit, & versat, qui totum mundi

globum infatigabili dextera tenet,& sustētat, puerilibus pro nobis indumentis operitur. Ille qui terras luce perfudit, cælum syderibus adornauit,& ignea solem claritate vestiuit, vilibus pro nobis pannis induitur. Ille, qui in maiestate sua amictus est lumine sicut vestimento, qui cælum & terram decorat, abiectis circumdatur pannis. Et quare hoc fratres charissimi, nisi vt nobis his pannis innocentiæ,& immortalitatis quam in Adam amiseramus, recuperaret vestem? Hinc posterioris ad Corinthios 8. dicit Apostolus Paulus: Scitis gratiam Domini nostri Iesu Christi, quoniā propter vos egenus factus est, cùm esset diues, vt vos illius inopia diuites essetis. Quare preciosiores sunt panni nostri Seruatoris omni purpura Regis: his nanque immortalitatis stola, quæ nullis huius mundi diuitijs comparari potest, acquiritur. Quid igitur humilitate ditius, quid preciosius inuenitur? hac nimirum regnum cælorum emitur, & diuina gratia possidetur: sicut scriptum est Matth. 5. Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnū cælorum. Et apud Apostolum Iacobum, Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Talis autem erat & Christus, qui non re, sed spiritu & voluntate, nostri gratia pauper erat & humilis corde. Preterea vilitas ista infantis preciosum Dei est sacramentum. In pannis enim nostras infirmitates, nostra se indicat suscepisse peccata. Sequitur,

Et reclinauit eum in præsepio:] Locum enim puero ibi non inuenit aptiorem. Reclinauit autem non Ioseph, sed mater: Ioseph enim eum, quem sciebat de se non esse genitum, non audebat attingere: mirabatur, gaudebat natum,& natum manibus contrectare timebat. Hoc igitur mater, non Ioseph præstitit, vt posteris virginem peperisse certum sit, cùm nullius, vt eum huc illuc'ue trāsferret, subsidio vsa sit: sed ipsamet agilis & alacris vnà cum Iosepho & angelis Dei ad sanctum præsepe vigilauerit. Quapropter ridendi sunt, qui Mariam virginem, dum ipsius puerperium aut sculpunt, aut depingunt, lecto decumbentem effingunt, quasi more ægrotantiū puerperarum, quæ cum dolore pariunt, obstetrice, lecto, culcitris, fomentis,& plurimis subsidijs indiguerit: nam eo quid stultius, quid delirum magis? Verùm admodum probandæ sunt illæ picturæ Christi natiuitatem repræsentantes, in quibus ipsa beata virgo Maria complicatis manibus, & flexis ge-

nibus

nibus ante paruulum suum filium quasi iam iam in lucem editum depingitur: ipsum enim quem genuit, vt canit ecclesia, adorauit.

Ipsa igitur virgo beata reclinauit eum, reclinauit, inquam, in præsepio. Ecce altissimus infra infimos omnes se humiliat, & è throno regni cælorum in septa venit iumentorum. O admirabilis humilitas! quis nostrum de se dici ferret, quòd in stabulo esset natus? inter bestias in lucem editus? hoc tamen Christus (vt omnibus esset manifestum) de se conscribi per Lucam voluit, adeò se nostri gratia Dominus noster humiliauit, atque deiecit. vnde habet Apostolus: Apparuit benignitas & humanitas Seruatoris nostri Dei. Apparuerat antea (vt ait beatus Bernardus) potentia in rerum creatione, apparebat sapientia in earum gubernatione: sed benignitas misericordiæ nunc maximè apparuit in humanitate, quam nostri gratia assumere dignatus est. Potestas subiectionem, maiestas exigit admirationem, neutra imitationem. Quapropter nunc apparuit, Domine, tua bonitas, cui possit homo, qui ad imaginem tuam creatus est, confirmari: nam maiestatem, potestatem, sapientiam nec imitari possumus, nec expedit æmulari: vbi enim sese exinaniuit maiestas, æquum non est vt vermiculus infletur & intumescat. quid enim magis indignum, quid detestandum amplius, quid grauius puniendum, quàm vt videns Deum cæli paruulum factum, vltrà apponat homo magnificare se super terram? Alij infantes in incunabilis: Christus verò in præsepio collocatur, tantam paupertatem per omnem vitam est professus. Hinc Lucæ 9. Vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos: Filius autem hominis non habet vbi caput suum reclinet. Vnde vides Filium Dei ex maxima gloria ad maximam venisse vilipensionem: ex maxima quiete ad maximum & intolerabilem laborem: ex maximis delitijs ad maximam paupertatem. Sed cur ipse Saluator, cuius est aurum pariter & argentum, sacram in corpore suo dedicat paupertatem? aut certè cur paupertas ipsa tam sollicitè enarratur ab Euangelista? neque enim sine certi mysterij ratione Seruator pannis obuoluitur, & in præsepio ponitur. Quandoquidē id manifestè in signum nobis ab Angelo commendatur: Hoc, inquit, vobis signum, inuenietis infantem pannis inuolutum, & positum in præsepio. Verùm hoc non

ob aliud contigit, quàm vt se ostenderet terrena non quærere, temporalia non amare. Vnde te quoque docere voluit hæc fluxa & caduca debere vilipendere: diuitijs, si modò affluant, cor apponere non licere. Ecce enim mater in fœno, filius in præsepio: ciuitas parua: domus paupercula: supellex exigua. Tale elegit fabricator mundi hospitium, huiusmodi habuit delitias sacræ virginis puerperiū. Panniculi pro purpura: laciniæ pro bysso in ornatu regio cōgeruntur, & quē cæli, & quidē cęli cælorū non cōprehendunt, in angusto pręsepio recūbit. Vnde verissimè poterat Christus dicere illud Psalmi 72. Ego ad nihilum redactus sum, & nesciui: vt iumentum factus sum apud te, & ego semper tecum. Sed quid? nonne ipse est qui dicit: Meus est orbis terræ, & plenitudo eius? Ad quid ergo stabulum elegit? Planè vt reprobet gloriam mūdi, damnet sæculi vanitatem. Quid igitur superbis? Quid insolescis puluis & vmbra? huc ad reginam, ad matrem altissimi oculos mentis tuæ intende. huc in Bethlehem & in stabulum ipsum descende: huc aciem mentis conijce, atque defige, & qui in cælesti palatio post hanc vitam regnare desyderas, ad præsepe hoc te contine: attende omnipotētis aulam & apparatum reliquum omnem: attēde, inquam, & de Regis cælorum propter te susceptा ingemisce miseria. Siquidem Christus, qui non fallitur, elegit quod carni molestius est: reprobauit quod voluptati est. Id ergo meliùs, id vtiliùs, id potiùs eligendum, & si quis aliud doceat, vel suadeat, ab eo tanquam à seductore cauendum. Exemplum enim dedit nobis, vt & nos eadem faciamus: vtilior siquidem in conflictu, quem in hoc mundo aggredimur, lorica ferrea, quàm stola linea, quamuis oneri sit illa, hæc honori. Sequitur,

Quia non erat eis locus in diuersorio.] Hinc constat quòd antea laborassent & operam dedissent vt locū in diuersorio habere possent, sed hunc adipisci non potuerunt. Tanta namque erat describendorum multitudo, vt hospitiorum loca occupata essent omnia, aut ditioribus, à quibus maior quæstus sperabatur, seruata. Vnde perpende quomodo suos eosque charissimos Christus patientia exercet. Virgo tenera itineris labore fatigata diuersorium, in quo recipiatur, non habet: tamē inde non turbatur, non ęgrè fert, non querulatur, non iactat se quòd mundi in vtero habeat dominū. Verùm si nos

nos in tali anxietate constituti, hospitio non reciperemur, sed vt ipsi ab omnibus contemneremur, Deus bone, quàm ægrè ferremus, quanta mala alijs imprecaremur. Verùm nihil tale Ioseph & Maria fecerunt, vtpote in omnibus patientes aduersis.

Verumtamen diuino consilio factum est, vt hospitio non reciperentur, vt sola esset cùm pareret, vt àb alijs non esset visa, neque obstetrice, neque confortante, neque lecto, neque culcitris eguisse, vt sic semper esset virgo abscondita. Vt interim taceam plerumque ita instituta esse diuersoria, vt Christus malit apud iumenta in stabulis quàm in quibusdam diuersorijs habitare: vbi enim citra ignominiam aliquando vix licet vel vnico verbo meminisse Christi, quid ibi faceret Christus? Denique Christus locum in diuersorio non habuit, vt tu illius misertus cor tuum vt illud inhabitet, illi tradas. Illud autem inhabitandum ei trades, quando mala ex eo desideria eijcies, vitia & passiones ab eo radicitus euelles: quia solus sine consortio in te habitare desiderat.

ENARRATIONIS EVANGELII MISSAE, GALLICANTVS IN FESTO NATIVITATIS DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI, CAPVT III.

ET pastores erant in regione eadem vigilantes & custodiẽtes vigilias noctis super gregem suum.) Vbi Græcus textus sic habet: καὶ ποιμένες ἦσαν ἐν τῇ χώρᾳ τῇ αὐτῇ ἀγραυλοῦντες, καὶ φυλάσσοντες φυλακὰς τῆς νυκτὸς ἐπὶ τὴν ποίμνην αὐτῶν. hoc est, Et pastores erant in regione eadẽ in agro agentes, & custodientes custodias noctis super gregẽ suum; ne scilicet nocturni temporis fures, lupi, leones, aut cætera id genus noxia illius regionis animalia gregem diriperent. Vnde adhuc in quibusdam regionibus moris est, vt pastores ouium simul cum ouibus etiam tempore hyemis maneant noctu in agris, & cum suis canibus dormiant in parua quadam domuncula ad hoc confecta, quæ ex vno loco in alium, dum necesse est, protruditur. Oues autem quibusdam constringuntur septis, ne vlterius quàm velint pastores, currant: & dum

nihil quod edant, habent, aliunde eis quod edant eò adfertur: atque ita fit vt stercoribus ouiū impinguantur agri. Sequitur,

Et ecce angelus Domini stetit iuxta illos,] Vbi Græcus textus sic habet: Καὶ ἰδοὺ ἄγγελος κυρίου ἐπέστη αὐτοῖς. hoc est, ecce angelus Domini incubuit ex alto super illos. Nam græca dictio ἐφίστημι magis significat angelum imminuisse ex alto super illos, quàm stetisse iuxta illos, ita vt in aëre per assumptam humani corporis effigiem, tanquam ex cælo descendens illis apparuerit, & è sublimi illorum verticibus imminuerit.

Cæterùm Simon de Cassia arbitratur hunc vnum eundémque angelum fuisse, qui Mariæ annunciauit Christum Dominum ex se nasciturum, & qui pastoribus illum euangelizauit iam natum, nimirum Gabrielē archangelum, qui semper fuit non quidem custodiæ Christi, sed eiusdem obsequio deputatus. Nam Christus cùm Deus esset, angelorum custodia non eguit, sed duntaxat eorundem obsequio vsus est.

Hic autem angelus dicitur Domini esse angelus, quia dominica venerat nunciare negocia, non scribis, nec Pharisæis, sed pastotibus antiquam conuersationem Patriarcharum & Moysi exercentibus. Quamobrem non venit Hierosolymā, non quæsiuit scribas & Pharisæos, non synagogam ingressus est Iudæorum: sed pastores adijt super greges suos vigilias excubantes. Nam is qui paruulis se reuelat, non à sapientibus, nec prudentibus, sed à paruulis quærit testimonium. Sequitur,

Et claritas Dei circumfulsit illos.] Vbi Græca exemplaria habent, Καὶ δόξα κυρίου περιέλαμψεν αὐτούς, id est, claritas Domini circumfulsit illos. Nam quamuis propria significatio huius dictionis δόξα sit gloria: significat tamen aliquando tum maiestatem, tum claritatem.

Per claritatem autem intelligitur hîc non lux solis, nec lunæ, nec lucernæ, sed claritas Dei, hoc est, claritas diuina, & noua quædam lux repentè diuinitus missa. Qualis fuit illa, quæ Act. 9. a. Paulum subitò circumfulsit de cælo: & Act. 12. a. in habitaculo carceris, in quo Petrus captiuus detinebatur, radios sui luminis aspersit. Verùm quæ hac nocte resplēduit, multo maior extitit: nam ex hac nox ista sicut dies illuminabatur, iuxta illud Psalmi 138. b. Et nox sicut dies illuminabitur.

bitur. Vnde ſicut magos noua ſtella ad indicium clarior præceſſit, ita quoque naſcente Chriſto noua claritas ad obſequiũ lucidior aduenit, & ex omni parte paſtores perſtrinxit, non tantùm exterius in corpore, verùmetiam interius in mente, vt non paruipenderent factum, quod tam inſolitum videbatur. Siquidem neque Patriarchis, neque Prophetis angeli, qui tam ſedulò apparuere Patribus, cũ luce apparuiſſe leguntur: ſed hoc priuilegium rectè huic tempori ſeruatum eſt, quando exortum eſt in tenebris lumen rectis corde miſericors & miſerator Dominus. Dignum profectò fuit vt qui eũ annunciatum venerat, qui eſt lux vera, quæ illuminat omnẽ hominem venientem in hunc mundum, homines nouo luminis radio illuſtraret, & nouitate cæleſtis lucis perfunderet.

Nec mirari debemus quòd in natiuitate Chriſti noua omnia facta ſunt, cùm nouum hoc ipſum fuerit, quòd virgo pe-perit. Si autem præter ſolitum natiuitas extitit, & præter ſolitum obſequia ſunt delata. Quapropter oriente Domino paſtores peruigilant, angeli exultant, ſtella famulatur, noua claritas obſequitur: noctis illius damna in diei tranſeunt lucra, & nox deficientibus tenebris minoratur, & dies additus nouæ luci producitur, vt naſcente lucis authore, omnia illa, quę totum mundum operuerat, infidelitatis nocte diſcuſſa, ad recipiendam internam de Chriſti natiuitate illuminationem reddamur idonei: fides noſtra velut dies luceat, velut meridies ferueat, noſque appropinquante die filij lucis effecti, abijciamus opera tenebrarum. & induamur arma lucis, ſic vt in die honeſtè ambulemus. Sequitur,

Et timuerunt timore magno.] Nam quamuis noua hęc lux læti eſſet ominis: tamen ob inſolitam, inconſuetam, & tam grandem viſionem, ac ſubitum prodigium, & angeli maieſtatem magno pauore correpti ſunt paſtores. Solent enim omnia inſolita & inconſueta perturbare nos. Sequitur,

Et dixit illis Angelus:] Nimirum paſtoribus, quibus timorem hunc mox adimit blando ſuo alloquio. Angeli enim perſonis humilibus loqui non dedignantur, & cùm ipſi ſublimes ſint, infimos non aſpernantur. Sequitur,

Nolite timere.] Quaſi dicere vellet, ponite pauorẽ, nihil eſt, quod formidetis me angelũ ſatanę eſſe, qui ſe etiã in angelũ lucis nõnunquã trãſfigurat, vt ad mala & falſa inducat, &

incautis imponat, quia non timorem, sed securitatem, non tristitiam, sed gaudium magnum annuncio vobis. Quamobrem officium boni spiritus obseruat hic angelus, cuius est, illum, cui apparet, timētem consolari. Hinc Lucæ primo dixit angelus Zachariæ: Noli timere Zacharia, exaudita est oratio tua. Sic quoque Gabriel angelus ad Mariam est locutus: Ne timeas Maria, inuenisti gratiam apud Dominum. Hoc etiam modo angelus mulieres sepulchrum Domini visitantes consolatus est, iussitque nihil metuere. Similiter & hic angelus pastores, ne timeant, exhortatur. Facit quidem id & malus spiritus, nam in principio blanditur: veruenimuero tādē in obscuritatem ac tenebras inducens, maiorem semper incutit timorem: id quod bonus non facit angelus. Hic enim suauitate consolationis timorem pellit, & tādem mentes eorum, quibus apparet, cum gaudio eleuat. Hinc sequitur,

Ecce enim euangelizo,] Vnde manifestum est, quòd nō homo, sed angelus primam de hoc festo fecit concionem, vt Christus Dominus & Seruator noster cognitus esset nobis. Vtinam & nunc adesset ex turba cælesti quispiam, qui nobis sacramenta hodiernę natiuitatis aperiat: facta sunt enim hodie maiora, quàm vt ego ea explicare possim. Nam hodie veritas de terra orta est: fons lucis omnia illuminantis in terra de virginea terra in lucem prodijt: habitantibus in regione vmbræ mortis lux æterna è virginei corporis substantia corpus assumpsit humanum. In cælo sydus nouum apparuit: in aëre sanctorum agmina angelorum coruscant: inconsueta nouitate relucent omnia, & partui virginis obsequuntur. Quis hæc hominum (vt de me sileam) sermone enarrare posset? Quis (inquit Malachias) poterit cogitare diem aduētus eius? & quis stabit ad videndum eum? An ergo nos ea, quæ ne mente quidem concipere possumus, explicare poterimus? Ob id ecce angelus mittitur, & cum eo exercitus angelorum copiosus, qui pastoribus huius diei prædicent gloriam: non quòd ipsi hæc ad plenum comprehendant, siquidem Deum hominem esse factum, natumque vt alium infantulum tam est mirabile, vt illud ne angeli quidem assequi possint. Generationē enim eius quis enarrabit? mittuntur tamen, quia ipsis maior est, quàm nobis de hisce rebus disserendi facultas. Vtinam igitur adesset ex eis iam quispiam, qui hæc ipsa vobis meliùs

quàm

quàm ego enucleet, & rem hanc suprà quàm dici possit, mirabilem vestris oculis subijciat, vel saltem quia hoc ab altissimo non conceditur, meam vocem in angelicam transformet, vt vobis quoad fieri potest, hæc ipsa meliùs edisseram. Sequitur,

Vobis] Nimirum pauperibus, humilibus, Deum timentibus, simplicibus, non alta sapientibus, vigilantibus, & in lege Dei die ac nocte meditantibus: non autem regibus, neque principibus, neque diuitibus, neque doctis, neque sterrentibus, neque negligentibus. Angelus enim non iuit Hierosolymam, non stetit ad molle stratum Herodis, nec Annæ, aut Caiphæ, non requisiuit scribas & Pharisæos: erant enim corrupti, & præ inuidia cruciabantur, & ob id accessit pastores vigilãtes, & in agro agẽtes pauperes, humiles, simplices, in hoc mundo consolationem non habentes, mundi amore vacuos, in mundo viles & abiectos. Nam hunc diuinum partum primò annũciare decebat ijs, qui nato Seruatori conformes magis existunt, videlicet pastoribus miseris, ab omni auaritia, & luxu alienis: siquidẽ paupertatis amator & ipse omnium pauperrimus & in summa inopia natus rectè pauperibus primò euangelizatur. Nam (vt inquit Paulus prioris ad Corinthios primo, d.) quæ stulta sunt mundi elegit Deus, vt confundat sapientes: & infirma mundi elegit Deus, vt confundat fortia: & ignobilia mundi, & contemptibilia elegit Deus, & ea quæ non sunt, vt ea quæ sunt, destrueret, vt non glorietur omnis caro in conspectu eius. Sequitur,

Gaudium magnum.] Id est, rem factam, quæ gaudij magni occasionem dabit: siquidẽ lætissimę rei nuncius adsum, & inauditum omnibus retro sæculis gaudium adfero, non quidẽ carnale gaudiũ, quale sequuntur homines vani, sed quale angelorum multitudo iubilans & exultans docet, Gloria, inquiens, in altissimis Deo. Hoc autem gaudium est cæleste, gaudium æternum, gaudium quod nulla tristitia interueniente turbatur. Gaudium etiam magnum, quia adeò commune, vt per vniuersum tendat orbem. Hinc sequitur,

Quod erit omni populo.] Non solùm vobis, nec soli populo Israëlitico, sed tam Gẽtibus, quàm Iudæis, omniq́ue populo. quasi dicat, Vobis quidem annuncio hoc gaudium magnũ, sed non pertinet ad vos solos: quod enim ego annuncio,

erit gaudium omni populo, non omni populo Iudæorum, neque omni populo Gentium, ſed omni populo credentiũ, qui vel de Iudæis, vel de Gentibus ad vnam Chriſti confeſſionem aggregatur. Vnde diſtributio iſta pro generibus ſingulorum eſt intelligenda. Sed de quo iſtud erit gaudium?

Quia natus eſt vobis hodie Saluator.] Quaſi diceret, Quia venit vobis iam diu expectatus Meſſias: quia adeſt vobis iam Dei filius pro vobis ſe totum traditurus: quia apparuit Rex immortalis Dominus dominorum, pro vobis contra hoſtes pugnaturus: quia venit pius paſtor quærere quod perierat: quia proceſſit armatus gigas ille fortiſſimus, in quo ſolo omniũ mortaliũ ſpes ſita eſt: nam hic iamam natus eſt, & verè carnem, de quo loquor, aſſumpſit humanam, & veriſſimè homo factus eſt. Pereant igitur omnes omnium ſæculorum hæretici, negantes Chriſtum veram carnem ex Maria Deipara aſſumpſiſſe, & in hunc mundum natum eſſeq. Audis'ne hæretice? natus eſt inquit, non dicit, apparuit. Sequitur,

Vobis,] ſcilicet hominibus, non angelis: venit enim non ad ſaluandos angelos, ſed homines. Natus eſt igitur vobis, id eſt, ad veſtrum commodum, qui eratis peccatores, qui perditi eratis, & ſub peccato venditi. Sequitur,

Hodie] Non ait, hac nocte, ſed hodie, id eſt, hoc die, cùm tamen nox eſſet. Quòd autem dum naſceretur Seruator, noctis tempus fuerit, teſtatur Sapiens Sapientiæ 18. c. dicens: Cùm quietum ſilentium cõtineret omnia, & nox in ſuo curſu medium iter haberet, omnipotens ſermo tuus, Domine, exiliens de cælo, à regalibus ſedibus venit. Quæ verba quis neget tempus inſinuare natiuitatis Chriſti? Quamuis igitur noctis tempus fuerit, tamen angelus non dixit hac nocte, ſed hodie, id eſt, hoc die: quia nox illa ex prædicta claritate diuina tam fuit illuminata, atque ſi dies fuiſſet clariſſima, ſecundùm illud quod prædictum fuerat Pſalmo 138. b. Et nox ſicut dies illuminabitur. Imò tanta fuit lux noctis huius, vt eam exiſtiment nonnulli ſacrarum literarum eruditiſſimi pertigiſſe vſque ad limbum, & ibi Patres exhilaraſſe, eò accommodantes iſtud propheticum Eſaiæ 9. Habitantibus in regione vmbræ mortis lux orta eſt eis. vbi enim regio vmbræ mortis eſt, niſi apud inferos? quamobrem regio vmbræ mortis limbus eſt, quò huius noctis claritas peruenit.

Nec

Nec temerè nox illa adeò lucida extitit, quia in hac sol iustitiæ ortus est omnibus nomen Domini timentibus. Vnde Psal mista mysticè præmonuit, quod postea manifestè Apostolus docuit dicēs: Nox præcessit, dies autem appropinquauit: abijciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis, sic vt in die honestè ambulemus. Sequitur,

Saluator.] Qualisnam seruator? an forsan aliquis Moysen, aut Iosue nobis referēs, qui nos iugo Romanorum excutiat? nequaquam. Nam quamuis seruator sit actionis, non tamen illius actionis, sed eius quæ habetur Matth. 1. Ipse enim saluū faciet populum suum à peccatis eorū. Hinc vides quare hoc gaudium diuitibus non fuerat annunciandum, neque ambitiosis, & terrenarum rerum amatoribus: hi enim vt à peccatis mundentur ne semel quidem cogitant, sed ad nihil aliud, quàm vt in rebus huius sæculi luxurientur, laborant, & non nisi de terrenis rebus quas amāt, gaudent: nullus enim nisi de eo, cuius amore tenetur, gaudio afficitur. Quapropter his quia duntaxat terrenarum rerum amore ducuntur, & cælestia aut non appetunt, aut cōtemnunt, Christi natiuitas non erat annūcianda: quia huiusmodi hominibus non solùm nō fuisset gaudio, verùm etiam fastidio: vt interim taceam, quibusdam fuisse odio, nimirum his, quorum gloriæ, ambitioni, aut cupiditati per Christum aliquid deperibat, vel deperiturum videbatur. Ex quorum numero erat Herodes, qui gloriæ sui metuebat regni: ideo & Christum persequebatur, timens eū aut sui expulsorem, aut regni inuasorem. quapropter his quia natum esse saluatorem nullum fuisset gaudium, nec erat eis annunciandum: sed illis qui de hoc mundo gaudium non habebant, hoc gaudium euangelizandum erat, nimirum spiritu pauperibus, humilibus, mundi amore vacuis, & in mundo vilibus & abiectis: qui enim de hoc mundo gaudium non habent, huius gaudij capaces esse possunt. Beati igitur pauperes spiritu, quibus terrenarum rerum abest amor, quibus nulla nisi rerum cælestium adest cupiditas: nam hi idonei sunt quibus istud annuncietur gaudium, quòd natus est hodie saluator verus Deus, & homo, iam olim per prophetarum oracula promissus, & tot hactenus sęculis expectatus, & à Patribus tātoperè desideratus, per quem & caput antiqui serpentis conculcari debet, & semen Abrahæ benedicendū est. Sequitur,

Qui

Qui est Christus] Christus græcè idem est quod vnctus latinè. Quamobrem hoc nomen competit Filio Dei, inquãtum est homo: nam inquantum Deus est, non est vnctus, nec egens vnctione, sed est vngens Spirituſancto credentes in eũ. Inquantum autem homo, vnctus dicitur, vtpote vnctam habens ſuam humanitatem diuinitate, & plenitudine gratiæ & virtutum: imò & lumine gloriæ, & beata fruitione à primo ſuæ incarnationis inſtanti: iuxta illud Pſalmi 44. Vnxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ conſortibus tuis. Et Eſaiæ 61. Spiritus Dominiſuper me, eò quòd vnxerit me. Vnde & princeps Apoſtolorum Petrus dicit Act. 10. Ieſum vnxit Deus Spirituſancto & virtute, non ad menſuram aliorum hominũ, ſed ſecundùm omnem plenitudinem, non ſolùm ſufficientię, ſed etiam redundantiæ in omnes alios. Hinc Ioannis 1.b. Et de plenitudine eius nos omnes accepimus. Quapropter Christus vnctus eſt nõ oleo corporali, nec vnctione humana, ſicut olim in lege vngebantur reges atque pontifices: ſed vnctione ſpirituali & diuina, quam eius requirebat humanitas, non autem diuinitas. Sequitur,

Dominus,] ſcilicet quoad diuinitatem, qui quoad humanitatẽ Chriſtus vocatus eſt. Hęc enim vox, Dominus, explicat ipſum eſſe verũ Deũ, cùm Dominus nomẽ ſit maieſtatis. Chriſtus tamen ſecundùm vtramque naturam dici poteſt Dominus, ſed diuerſa ratione: quia vt Deus eſt, Dominus per ſummam authoritatem, primamq́ue poteſtatem: ſecundùm naturam verò humanam eſt Dominus etiam omnium creaturarum per poteſtatem & gratiam temporaliter datam. Hinc ipſemet dicit Matthęi 28. Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo, & in terra. Sequitur,

In ciuitate Dauid.] Cui nomen Bethlehem. Hic enim locus ei debebatur tum ex oraculo Micheæ 5. tum quia domus panis interpretatur: ipſe enim eſt panis angelorum, qui de cælo deſcendit, & dat vitam mundo. Sequitur.

Et hoc vobis ſignum, inuenietis infantem pannis inuolutum, & poſitum in præſepio.] Hoc eſt, inuenietis infantem, non in molli lecto iacentem, non purpura, non auro, nec gemmis ornatum, ſed in præſepio reclinatum, & vilibus pannis circumamictum. Venit enim vt principem ſuperbiæ, & huius mundi calcaret, vt ſe temporale (quemadmodum

dum Herodes,ſcribæ & Phariſæi exiſtimabant) non quærere regnum oſtenderet.

Fidelibus igitur ſignum ſalutis eſt humilitas Saluatoris, cui ſuperbia per quam mors in mundum intrauit, eſt oppoſita & contraria.

ENARRATIONIS EVANGELII MISSAE GALLICANTVS IN FESTO NATIVITATIS DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI CAPVT IIII.

Et ſubitò facta eſt cum angelo multitudo militiæ cæleſtis] Ne enim parui fieret vnius angeli authoritas, exultatio innumerabilium iungitur angelorum, vt excellentius fieret teſtimonium,cui in honorem Dei militiæ cæleſtis concineret multitudo. Nomine enim militiæ angeli deſignantur,quia pro ſalute hominum contra dæmones præliantur. Sequitur,

Laudantium Deum,] Nimirum pro humani generis reparatione, & ſuæ ruinæ reſtauratione. Vnde docent nos angeli ſuo exemplo in tam ſancta natalis Chriſti ſolennitate cũ omni gaudio & lætitia ſpirituali magnificare Dominum,gratias ei agere, & de beneficijs omnibus gratitudinem exhibere. Nam etſi omnium noſtrum membra verterentur in linguas,nunquam tamen ei poſſemus ſufficientes pro beneficijs hodie nobis impenſis agere gratias. Sequitur,

Et dicentium, Gloria in excelſis Deo,] Videlicet facta eſt, per natiuitatem Filij Dei Ieſu Chriſti. Siquidem Dei eſt gloria ex matre virgine Chriſti naſcentis infantia. Rogabis, opinor,an ergo Deo acceſſerit gloria eo ipſo,quod Dei filius erat pannis inuolutus, & in præſepio collocatus? acceſſit profectò: nihil enim aliud eſt gloria, quàm clara bonitatis cum laude notitia. Clara autem bonitatis Dei cum laude notitia, maximè per filij natiuitatem eſt facta. Siquidem hinc ſummæ eius virtutes, nimirum profundiſſima eius humilitas,bonitas & manſuetudo manifeſtatę ſunt. Quando autem alicuius manifeſtantur virtutes, eo ipſo, quo manifeſtantur,accreſſit ei cuius ſunt virtutes, gloria. Olim in rerũ creatione apparuit eius omnipotentia:in rerum conſeruatione ſapientia: nondum autem apparuerat eius profundiſſima humilitas,

humilitas, qua apparente, facta est clara bonitatis Dei notitia, quæ hîc appellatur gloria. Sequitur,

Et in terra pax] Scilicet facta est per natiuitatem Christi. Pax autem est ordinata concordia hominis ad Deum, hominis ad seipsum, & ad proximum. Nam peccatis abolitis nos qui antea in ira Dei constituti eramus, Deo conciliat, nos mutua charitate conglutinat. Quamobrem hæc pax non mundi, sed Dei est, quæ exuperat omnem sensum, quæque præpõderat vniuersis mundi fœlicitatibus. Nam pacis nomine omnium ferè mandatorum continetur effectus: vbi enim fuerit veritas pacis, nihil ibi potest deesse virtutis. Quid enim aliud est ordinata hominis ad Deum concordia, nisi velle quod Deus iubet, nolle quod prohibet? Si enim humanę amicitiæ pares animos, & similes expetunt voluntates, nec vnquam diuersitas motum ad firmam potest venire concordiam: quomodo diuinæ particeps erit pacis, cui ea placent, quæ Deo displicent, & ijs appetit delectari, quibus illum nouit offendi? Homini igitur Christiano vera pax est, à Dei voluntate nõ diuidi, sed in his solis, quę Dei sunt, delectari. Quare si diuinę participes esse pacis velimus, eius voluntati obediamus, eius præceptis adimplendis nos totos dedamus, & omnes animæ vires, omnesque neruos in hoc intendamus, vt quod nouimus placitum esse Deo, semper agamus & perficiamus. Similiter si pacem cum proximo habere sit animus, eius infirmitatis & onera ex charitate portemus: si denique pacẽ cum nobismetipsis desideremus, omnia cum animi tranquillitate sufferamus: & tunc Christũ dignè cum pastoribus adire, quærere, & inuenire poterimus, non iam angelis imperantem, nõ signa facientem, ex quibus facilè dinosci posset: sed recens natum, & infantem, & in præsepio ante ora iumentorum iacentem, pannis inuolutum, humilem & mansuetum corde, qualem cum inuenire, & inuentum dinoscere longè est difficilius.

Quapropter hanc inquiramus pacem, non gloriam prosequamur: hæc enim solius Dei est, siquidẽ solus cuncta creauit, solus contra hostem pugnauit, solus de hoste triumphauit, solus captiuos liberauit. Torcular, inquit, calcaui solus, & de gentibus non est vir mecum. Solus igitur gloriam meretur, qui solus pugnauit, & vicit, & mirabilia solus fecit.

Hinc

Hinc dicit Apostolus prioris ad Timoth. 1.d. Soli Deo honor & gloria, eamque alteri non dabit. Gloriã inquit Esa. 42. b. meã alteri nõ dabo. Quid ergo dabis nobis Domine? quid dabis nobis? Pacem, inquit, do vobis, pacem relinquo vobis. Sufficit nobis, obuijs vlnis suscipimus quod relinquis, & relinquimus quod retines. Supra modum placet angelica illa partitio, qua gloria Deo, pax hominibus tribuitur: ne si nobis gloriam vsurpemus, turbatores pacis simus, eamque simul cũ gloria perdamus. Scimus enim quoniam fontium natura est, riuos sectari conuallium, montium ardua declinare: sicut scriptum est: Qui emittis fontes in conuallibus. Inter medium montium pertransibunt aquæ. Hoc autem est, vnde Iacobus Apostolus nos omnes admonitos cupit, quia Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Quamobrem prorsus abiuremus gloriam, ne forte si vsurpauerimus non concessum, perdamus meritò & oblatum. Quonam enim modo stabit pax hominum cum Deo, si Deo apud homines non potest esse tuta sua gloria? O stulti filij Adam, qui contemnentes pacem, & gloriam appetentes, & pacem perditis, & gloriam. Huic igitur malo obuiare volens Psalmista precatur ad Dominum dicens: Non nobis Domine non nobis: sed nomini tuo da gloriam. quapropter tibi Domine, tibi gloria tua maneat illibata: bene mecum agitur, si pacem habuero. Nam ex quo posuisti me contrarium tibi, factus sum etiam mihimet ipsi grauis. Vnde hoc mihi necessarium, hoc satis est reconciliari tibi, reconciliari mihi, ne si tibi reconciliatus non fuero, & sacrilegus inuasor gloriæ tuę extitero, mihimet ipsi grauis permaneam.

Psal. 103. *Cap. 4. b.* *Psal. 113.*

Rogabis fortassis, quomodo soli Deo est gloria, cùm tamẽ & quibusdam hominibus sit clara bonitatis cum laude notitia, quæ hîc appellatur gloria? Respondeo, quosdam quidem fulgere gloria: verùm illis eam appetere propter se non licet. Nam periculosum est sibi placere, quibus cauendum est superbire, Licet tamen eis eam sibi appetere tum propter Dei gloriam, tum propter aliorum ædificationem. Hinc Matth. 5. b. Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cælis est. Quapropter Deo principaliter debetur gloria: hominibus autem solùm propter Deum, & aliorum ædificationem. Verùm

pax

pax hominibus bonæ voluntatis necessaria est: nam absque illa veram animi tranquillitatem nemo habere aut consequi potest. Prius autem ab vtraque parte diabolus hoc effecerat, vt nec Deo suus honor à creaturis deferretur, nec homines veram pacem obtinerent. Verùm enimuero iam beneficio Dei hoc die in nos collato, & Deo suus honor, & nobis nostra pax restituta est. Sequitur,

Hominibus bonæ voluntatis.] Vbi græca exemplaria etiam omnia constanter habent, ἐν ἀνθρώποις εὐδοκία. hoc est, in hominibus bona voluntas. Vnde factum est, vt hîc duplex sit lectio. quidam enim legunt: In hominibus bona voluntas: alij autem, hominibus bonæ voluntatis, nimirum omnes latini. Greci autem vtroque legunt modo. Nam Chrysostomus circa hunc locum, super Lucam legit, In hominibus bonæ volũtatis: nam ibi sic habet, In terra pax. In quibus pax? in hominibus. Et quare Gentiles pacẽ non habent? quare Iudæi pacem non habent? ideo adiecit, Pax in hominibus bonæ voluntatis. hoc est, qui suscipiunt natum Christũ. Vnde certum est Chrysostomum hoc in loco ita legisse, quẽadmodum noster latinus legit interpres: similiter legit & Origenes: sic enim habet, Gloria in excelsis Deo, & super terrã pax hominibus bonæ voluntatis. Verùm idem ille Chrysostomus in homelia tertia, quam conscribit in epistolam ad Colossenses, & in homelia 56.a. ad populum Antiochenum legit, vt omnia græca habent exemplaria, In hominibus bona voluntas. Similiter & Basilius in homelia, quam habet in sanctam Christi natiuitatem, circa finem homeliæ: nam ibi sic habet, Et in terra pax: inter homines bona voluntas. Quia igitur vtraque lectio apud probatos reperitur authores, vtraque nobis interpretanda & explicãda est, vt si lector in hanc Græcorum lectionem incidat, eam quoque exactè intelligere queat. Sic igitur habet Græcorum lectio, ἐν ἀνθρώποις εὐδοκία. id est, in hominibus bona voluntas, seu potius beneplacitum. Nam apud Græcos est vnica vox, εὐδοκία, quæ solet transferri beneplacitum. quasi iam Deo sit beneplacitũ in hominibus, quod prius in eis non inuenerat. Vnde manifestum est iuxta hanc Græcorum lectionem, bonam voluntatem non pertinere ad homines, quasi qui bonam habebant voluntatẽ, sed ad Deum, qui propitius factus sit hominibus

per

per filium suum, per quem requies & refocillatio Deo in hominibus facta est, & homines Deo redditi sunt beneplacẽtes, grati & accepti. Hinc Esa. 12. a. Confiteor tibi Domine, quoniam iratus eras, conuersus est furor tuus, & cõsolatus es me. Ecce Deus saluator meus, fiducialiter agam & non timebo. Vnde nominatiuus hic εὐδοκία per appositionẽ referretur ad pacem, perinde quasi percontanti, Vnde ista pax, quam nunciatis, respondeant angeli, non est ex meritis vestris, sed hæc pax est pius affectus Dei erga homines. Quòd enim Deo reconciliati sumus, id non contigit ex nostris meritis, sed illius gratuita in nos beneuolẽtia. Hinc Paulus in epist. hodierna: Non ex operibus iustitię, quę fecimus nos, sed secundùm suã misericordiam saluos nos fecit. Quamobrem hoc pacto ordinandus est sermo: In terra pax, quæ est bona voluntas Dei in hominibus, hoc est, erga homines. Alij autem vtpote Latini omnes, & aliquot Gręci legunt vt noster habet Latinus interpres: hominibus bonæ voluntatis, vt non quibusuis, sed duntaxat bonæ voluntatis hominibus pax facta denũcietur. Siquidem exortum est in tenebris lumen non quibusuis, sed rectis corde: maleuolis autem petra scandali, & lapis offensionis, quia nõ est pax impijs, dicit Dominus. Herodes enim turbatus est, & omnis Hierosolyma cum illo. Siquidem in propria venit, & sui eum non receperunt: quotquot autem receperunt eũ, dedit eis potestatem filios Dei fieri. Quare ijs qui bona volũtate Christũ natum suscipiunt, non persequuntur, pax apud Deum effecta ab angelis nunciatur, atque publicatur. Hinc dicit Psalmista: Pax multa diligentibus legem tuam, & non est eis scandalum. *Psal. 118.*

Ex quibus omnibus satis manifestum, quòd pax illa, quã Christus in sua natiuitate nobis cõtulit, non est pax exterior, quæ habetur cum mundo, & carne. Nam hanc & homines malæ voluntatis habere possunt: sed est pax interior bonæ voluntatis, quam magna illa pax exterior & temporalis, quæ fuit in aduentu Christi, pacatis omnibus gentibus sub imperio Romano, significabat. Quòd autẽ pacem exteriorẽ cum mundo & carne non cõtulerit, vel ex eo manifestũ est, quod dicit Mat. 10. d. Non veni pacem mittere, sed gladium: veni enim separare hominem aduersus patrem suum, & filiam aduersus matrem suam, & nurum aduersus socrum suam, & ini-

mici hominis,domeſtici eius.Chriſtus enim venit,vt turbaret & dirimeret malorum, quam habebāt in peccatis,concordiā. Hinc ibidem ſubdit : Qui amat patrē,aut matrem pluſquam me,non eſt me dignus, & qui amat filium aut filiā ſuper me, non eſt me dignus.Hoc autem facere non conſueuerunt niſi homines peruerſi & peccatores, quorum concòrdiam Chriſtus dirimere venit. nec ſolùm eam, verùm etiam,quam habent peccatores cum carne propria pacem.Hinc ſequitur,Et qui non accipit crucem ſuam, & ſequitur me,non eſt me dignus.Per crucem namque intelligit carnis afflictionem. Vnde ad Galat. 5. Qui autem ſunt Chriſti, carnem ſuam crucifixerunt cum vitijs & cōcupiſcentijs eius.Prӕterea venit Chriſtus etiam diſſipatum quam habebant homines cum diabolo pacē.Hinc Ioh.12.Nunc iudicium eſt mundi : nunc princeps huius mundi eijcietur foras.Quare Chriſtus non quālibet nobis cōtulit pacem,ſed duntaxat eam quæ competit hominibus bonæ voluntaris. Id quod nobis omnibus maximā adfert conſolationem.Nam ſi angeli dixiſſent,Et in terra pax hominibus ſtrenuæ actionis, iam non immeritò terruiſſent infirmos,magna agere non valentes. Si autem pacem optaſſent largas facientibus & dantibus eleemoſynas,iam pauperes turbaſſent ſibimetipſis non ſufficientes.Si verò pacē nunciaſſent præſidentibus,& hominibus in honore conſtitutis, timuiſſent ſubditi & humiles, ad hanc pacē ſe venire poſſe deſperantes.Vt igitur omnes cōſolarentur,vt omnes accederēt, ſubſiſteret nemo,oblata eſt in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Nihil enim magis, quàm voluntas noſtra in noſtra eſt poteſtate. Hanc æquè habet infirmus vt fortis, pauper vt diues,ſubditus vt prælatus:nec eſt qui non poſſit velle & nolle. Hanc ſolam ab hominibus exigit Deus, quibus ſuam eſt daturus pacem. Quapropter hoc verbum, verbum eſt totius ſpei,conſolationis, & clementiæ.

Cæterùm quæ ſequuntur in hoc cantico, creditur Hilarius addidiſſe, & Anaſtaſius papa 2. vt ipſa in miſſa diebus dominicis & feſtiuis cantarentur, inſtituiſſe, quia eſt gaudij & exultationis canticum, & ad honorem & gloriam eius ordinatum,qui viuit & regnat in ſӕcula ſӕculorum. Amen.

ENARRA-

ENARRATIONIS EVANGELII SECVNDAE MISSAE IN FESTO NATIVITATIS DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI

CAPVT PRIMVM.

Euangelium in missa auroræ describitur nobis Lucæ secundo, b.c.

ET factum est, vt discesserunt ab eis angeli in cælum, pastores loquebantur ad inuicem,] Hoc euangelium antequam aggrediamur, lubet repetere ea, quæ hac nocte in Bethlehem facta sunt. Dominus itaque saluatór (vt sacra Euangelij testatur historia) hodie in Bethlehem natus est: Creator creatura factus est: qui Deus erat, efficitur homo: qui omnibus omnia dat, pauper efficitur: qui omnia vestit, nudus frigori exponitur: qui omnia pascit, lacte materno alitur: immensus capitur, incorporeus carne vestitur. Verbum Dei corporis tegumentum induit: videtur inuisibilis: palpatur inpalpabilis: comprehenditur incomprehensibilis: & qui primò sine matre natus est in cælis, hodie sine patre natus est in terris. O miracula, ô prodigia, fratres charissimi. Iura naturæ mutantur in homine: Deus nascitur, nupta concepit, sed virgo generauit: mater facta, sed incorrupta: semper clausa, sed non infœcunda. Virgo sine viro grauidatur: viri nescia fœcunda efficitur: virgo nesciens virum, habet filium. Attēde igitur quàm bene dixerit Dauid Deū hodie fecisse mirabilia. Vbi enim plura vel maiora vsquā sunt vel audita, vel visa? magna mirabilia fecit Deus in rerū creatione, magna cum Israëlitis, verùm ea nihil sunt ad hæc nostra. Sed ad quid hæc fratres charissimi, ad quid hæc mirabilia facta sunt? non eius, sed nostri gratia. Siquidem ille paruulus, ille infantulus natus est nobis, vt nos viri possimus esse perfecti. homo nostri generis factus est, vt nos omnes diuinæ naturæ efficeremur consortes. filius hominis factus est, vt nos filij Dei esse possimus. æternus temporalis, vt nos omnes efficeremur æterni; immortalis passibilis, vt nos omnes efficeremur impassibiles. descēdit de cælo ad terras, vt nos de terris eleuaret ad cælos: ille in terris vt tu in cælis: nisi enim ille ad nos hac humilitate descenderet, nemo ad illum vllis suis meritis perueniret. Quāobrem ad imaginem & similitudinem nostram factus est,

qui nos in primo homine ad imaginem & similitudinem suã fecerat, vt is inueniretur, qui peccando perierat. O immensa pietas, ô ineffabilis humilitas, ô inenarrabile sacramẽtũ. Dominus factus est seruus, vt seruus efficeretur dominus. Rex regum subditus est effectus, vt nos omnes efficeremur reges: Dominus angelorum factus est homo, vt panem angelorum manducaret homo. Induit ille carnem, vt nos virtute Spiritus indueret. Et qui totum mundum vario vestit ornatu, pannis vilibus inuoluitur, vt nos stolam primam recipere valeamus. Eius per quem omnia facta sunt, manus pedesque abiectis ligantur fasciolis, vt nostræ manus ad opus bonum exertæ, nostri sint pedes in viam pacis directi. Ille pannis inuoluitur, vt tu mortis laqueis sis absolutus. Insuper cui cælum sedes est, duri præsepij angustia continetur, vt nos per cælestis regni gaudia dilatet. Qui panis est angelorum, in præsepio reclinatur, vt nos quasi facta animalia suæ carnis frumento reficiat. Denique qui totius orbis est Dominus, velut peregrinus nascitur, vt nos cælestis patriæ faceret esse municipes. qui ad dexteram Patris sedet in cælo, loco eget in diuersorio, vt nobis in domo Patris sui fœlicium mansionum copiam præpararet, eamque præparatam nobis donaret. Hinc Ioh. 14. In domo patris mei mansiones multæ sunt. Quapropter cùm diues esset, propter nos egenus factus est, vt illius inopia nos ditaremur. Nostrum ergo paupertas illius patrimonium est, & infirmitas Domini nostra virtus est. Maluit sibi egere, vt omnibus abundaret. Nos illius infantiæ vagientis fletus abluunt, nostra lachrymæ illæ delicta lauerunt. Plus igitur Domine Iesu iniurijs tuis debemus, quibus redempti sumus, quàm operibus, quibus creati sumus. Quid enim prodesset nasci, nisi & redimi profuisset. Hæc autem sunt, ob quæ nobis in spiritu gaudendum est, & gaudium ab angelo nunciatum obuijs vlnis acceptandum. Habemus tamen proh dolor hîc aliquid propter quod nobis est dolendum: quia (vt Iohannes ait, primo cap. sui Euangelij) in propria venit, & sui eum non receperunt, adeò namque ab omnibus est reiectus, vt in tugurio & casa vilissima natus sit, etiam domo carens, & non solùm domo, verùm etiam cunis, ita vt in præsepio poni debuerit, inter duo animalia, nimirum bouem & asinum: iuxta illud Esaiæ primo: Cognouit bos possessorem suum, & asinus

præſepe domini ſui. Vnde quidam colligere nituntur iſta etiam bruta animalia puerum Ieſum vt Deum & conditorem ſuum coluiſſe. Sicut & aſinam Balaam legimus eſſe locutam. Num.22.
Hinc Ambroſius mirum eſſe prædicat Dominum habuiſſe huiuſmodi miniſteria. Ecce enim, inquit, thronus Regis cælorum præſepe eſt, palatium ſtabulum, purpura ipſius pannus lacer, famnli ipſius Ioſeph, & Maria, bos & aſinus.

Atqui quod non honore merito dignatus eſt mundus, id ipſum glorificauit de cælo Dominus ſuper omnes regum filios in terris. Tametſi enim terreno in diuerſorio iaceat, tamē cæleſti lumine fulget. Ex vtero funditur, ſed coruſcat è cælo. Cęli nouum atq; ſplendidſt lumen illo ipſo operante produ eunt, vt lumeu verum ſedentibus in vmbra mortis nunciaciarēt natum, & velut in lingua ſua laudarent hunc ſponſum procedentem, quem ſciebant ad hoc ſuſcepiſſe mortalem hominem, vt faceret immortalem. Deinde angelus Domini apparuit paſtoribus in regione eadem vigilantibus, & vigilias noctis ſuper gregem ſuum cuſtodientibus, qui natum mundo ſolem iuſtitiæ non ſolùm claritate diuinæ lucis, verùmetiam cęleſtis ſermonis voce aſtruxit. Apparuit inquam non dormientibus, ſed vigilantibus, vt nobis ſignificaretur, quòd debeamus, ſi velimus eſſe digni cæleſti viſione atque angelica viſitatione, in præceptis Dei vigilare. Sed in hoc negocio nec cæleſtis ſermonis vox defuit: angelus enim dixit, Ecce euangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo, quia natus eſt vobis hodie ſaluator, qui eſt Chriſtus Dominus in ciuitate Dauid. Verùm ne parua videretur vnius angeli authoritas, poſteaquam vnus ſacramentum nouæ natiuitatis aperuit, ſtatim multitudo cæleſtinm agminum, quæ gloriā Deo caneret, pacemq; ſimul hominibus bonæ voluntatis deſignaret, adfuit. Tandem ad hunc magi ab extremo terræ veniunt, commoniti requirunt, vocati munera offerūt, infantem natum necdum quidem videntes, ſed ſtella indice regem adorare cupientes. Videtis igitur quomodo glorificauerit de cęlo Dominus, quod merito honore non eſt dignatus mundus. His præmiſſis iam ad Euangelij contextum accedamus. Dicit itaque Euangeliſta:

Et factum eſt, vt diſceſſerunt ab eis angeli in cælum, paſtores loquebantur ad inuicem,] Paſtores inquam inſolita

ſolita angeli claritate conterriti, ſed dulci allocutione, & fœlici nuncio inflammati, & angelorum conueutu ſimul & concentu incitati, recedentibus angelis loquebātur ad inuicem, non de rebus vanis & inutilibus, ſed quomodo ad Bethlehem vſque tranſeundum eſſet illis ad videndum Ieſum. Hinc ſequitur,

Tranſeamus vſque Bethlehem,] O bonos paſtores, qui licet curæ ſui gregis impliciti fuerint, tamen in Bethlehem vſque eundum eſſe decreuerunt, & ſtatim eò ſeſe receperunt. Quorum exemplo edocti nihil nobis rei temporalis obſiſtere patiemur, quo minus ad Bethlehem vſque perueniamus. Omnino enim mirabile quid ibi exhibitum eſt, atque adeò res ſpectatu digniſſima. Tu itaque quiſquis es artifex, qui quamuis manibus & labore tibi victum quærites, & gregem tibi commiſſum, & rem familiarem tractandam habeas, tamen paſtores illos comitare, & interdum temetipſum in Bethlehem ad videndum Ieſum non tardes recipere. Vt autem eò venias, haud opus eſt, vt procul proficiſcaris terra, mariùe. Bethlehem poſſumus intra nos inuenire. Bene tranſimus ad Bethlehem dum earum rerum, quę ibi exhibitæ ſunt, cogitationibus nos exercemus: vbicunque tandem ſiue in noſtro cubiculo, ſiue in agro, ſiue in templo hoc faciamus. Quia tamen eccleſia illi rei potiſſimùm eſt deputata, id nos ibi ſemper quàm diligentiſſimè facere decet. Quiſquis igitur es, vel haberi vis bonus Chriſtianus, hoc age quotieſcunque templum viſitas, vt te abire in Bethlehem, id eſt, in domum panis tibi perſuadeas: panis, inquam, non qualiſcunque, ſed viui. Quid enim nobis aliud eſt Bethlehem, quàm eccleſia ſancta, in qua panis viuus eſt, qui de cęlo deſcendit? In hac igitur ſemper res in Bethlehem exhibitæ abiectis omnibus carnis concupiſcentijs toto mentis affectu nobis ſunt tractandæ, & totis animi viribus examinandæ. Attollite ergo in templo exiſtentes oculos veſtros & conuertite conſiderationem veſtram ad Bethlehem & perſuadete vobis id quod res eſt. Infantem quem ibi pannis inuolutum cernitis & poſitum in præſepio videtis eſſe magnū illum dominum, qui magnitudine ſua implet cœlum & terram. Qui ſolem, lunam, ſtellas, cœlum, terram, & omnia quę vſquam ſunt, condidit. In quo vita vigórque omnium eſt, quæ condita ſunt. Nihilo-

Nihilominus tamen hunc esse, qui salutis vestræ gratia semetipsum exinaniuit formam serui accipiens, & habitu inuentus vt homo: pannis inuolutus, & in præsepio positus. Cumque huc cogitando perueneritis, ob hæc & multa alia in vos collata beneficia ei gratias repēdite: eius humilitatem, cæterasque eius virtutes imitari studete: & ad impletionem præceptorum eius vos totos conuertite. Sequitur,

Et videamus hoc verbum.] Verbum vtique æternum. verbum iam inde ab æterno è cælestis parentis corde genitum. Verbum de quo Ioannes ait, In principio erat verbum. Verbum denique, hoc est, Christū Iesum natum, per verbum angeli nobis significatum. vnde pastores supra modum honorarunt Christum, dum vocant eum verbum. siquidem verbo domini cæli firmati sunt: & spiritu oris eius omnis virtus eorum. Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Sequitur,

Quod factum est.] non quod verbum illud sit in sua essentia factum. Ab æterno enim secundum essentiam genitum est, non factum. Quapropter verbum illud non nisi secundum humanam naturam factum esse intelligi debet, Iuxta illud Ioannis primo, Et verbum caro factum est, & habitauit in nobis: quod olim in spiritu præuidit propheta Baruch, quando eum in terris visum & cum hominibus conuersatum perhibet. Sequitur, *Bar. 3. d.*

Quod fecit Dominus,] Inuisibile enim Dei verbum visibile factum est non ab homine, sed à Deo. Sequitur,

Et ostendit nobis.] Græci hîc habent ἐγνώρισεν, id est, notificauit, siue mauis, notum fecit, indicauit, & aperuit nobis.

ENARRATIONIS EVANGELII SECVNDAE MISSAE IN FESTO NATIVITATIS DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI

CAPVT SECVNDVM.

ET venerunt.] ſcilicet ad videndum Chriſtum Dominum, magno animi ardore accenſi & vehementi animi affectu inflammati. Ad id autem cuius tam incredibili cupiditate tenemur, nõ ſegniter accedimus, ſed ſupra quam dici poſſit properamus. Ob id ita fecerunt & paſtores. Hinc ſequitur:

Feſtinantes,] neque enim cum deſidia, Chriſti eſt quærenda præſentia:ſed cum alacritate,& flagrantibus animi deſiderijs adeunda:non enim ocioſi ac deſides, ſed virtutum operibus inſudantes diuina contemplatione ſunt digni. Hinc dicit Dominus:Quęrite & inuenietis,pulſate & aperietur vobis: & omnis qui petit,accipit, qui quætit inuenit,& pulſanti aperietur. Quia igitur paſtores adeo diligenter & ſedulo Dominum quæſierunt: Ideo eum inuenire, ſimulq́ue cum ipſo Mariam & Ioſeph meruerunt. Hinc ſequitur:

Et inuenerunt Mariam & Ioſeph & infantem poſitum in præſepio.] Quod ſic intelligendum eſt, Inuenerunt quidem recens natum puerum, quemadmodum eis angelus dixerat:ſed in tanta paupertate & loco tam humili conſtitutum vt nũquam eum Meſſiam,verum ſeruatorem, & redemptorem crediturì fuiſſent niſi id celitus audiuiſſent,omniaq́. ſigna ſibi ab angelo pr̨dicta comperiſſent. Inuenerũt autem, ſed non ſine Maria matre eius. Quapropter nec nos ſine ea Chriſtum inuenire poterimus. Sequitur:

Videntes autem cognouerũt de verbo,quod dictum erat illis de puero hoc.]hoc eſt, videntes ſigna ſibi ab angelo prædicta in puero hoc eſſe adimpleta, cognouerunt verbum,quod illis erat dictum de hoc puero eſſe intelligẽdum. Nam poſteaquam oculis teſtibus non eſſe vana, quę nunciarat angelus inuenerunt,ad firmiorẽ credulitatem magis confirmati ſunt. Ita & nos quoque quę dicta ſunt nobis de ſeruatore noſtro plena fide amplecti debemus. Nam ſi nihil offendit pios paſtores quod inuenerunt puerum illum tam vehementer deſolatum, parentes quoque ipſius coram mundo contem-

contemptos & egenos homines: multo minus nobis idipſum offendiculo eſſe patiemur, qui fidẽ à teneris imbibimus annis. Porrò Græci hic habent διεγνώρισαν περὶ τοῦ ῥήματος, hoc eſt, notum fecerunt, vel diuulgauerunt, vt intelligamus illos quod viderant, alijs qui non viderant, prædicaſſe. Nam ſeruator noſter volens ſuorum affectum totaliter à mundana gloria alienare, non ſolum pauper in humilitate naſci, conuerſariq. voluit: ſed etiam per pauperes pauperibus annunciari: ne fidei initium humanæ aut gloriæ, aut ſapientiæ, quæ ſtultitia eſt apud Deum, ſed diuinæ gratię aſſcriberetur. Hinc ſequitur:

Et omnes qui audierant, mirati ſunt: de his quæ dicta erant à paſtoribus ad ipſos.] Vnde manifeſtum eſt, quod paſtores arcana, quæ, diuinitus agnouerant, non celauerunt, ſed quibuſcunqne potueruut, indicauerunt. Hinc docentur omnes eccleſiæ paſtores, Epiſcopi, presbyteri & cęnobijs præfecti verbi Dei myſteria prædicare, & mirabilia, quæ ex ſcripturis didicerunt, ſuis ſubditis declarare. Nec ſolum hi, ſed etiam omnes fideles, qui vel pauperculæ ſuæ domus cuſtodiam gerunt, etiam ſi ſolum vnum aut alterum ſibi habeāt ſubiectum, ſuę domui ſollicita vigilantia pręeſſe debent. Eos autem qui nullum ſibi habent ſubiectum ſecuros eſſe non decet, cum vnuſquiſque priuatus ſuæ animę ſit paſtor, quam debet cæleſtibus ſcripturarum paſcuis nutrire & ab inſidijs & laqueis diaboli cuſtodire.

Paſtores igitur tam admirabile factum, quod prius ab angelo audierant, & iam iam oculis ſuis viderant non ſolum Mariæ & Ioſepho, verùm etiam alijs nunciauerunt & diuulgarunt hominibus, qui pariter de his, quæ dicta erant à paſtoribus ad ipſos de incarnationis myſterio admirati ſunt. Quis autẽ non merito demiretur angelos videri in terris, qui dicebant natum eſſe ſeruatorẽ mundi? Quod ille qui omnia fecit, hodie natus eſt? Quod ille qui per Hieremiam dicit, cęlum & terram ego impleo, nunc caro factus, in anguſto eſt præſepio collocatus. Quod ille qui cælum & terram palmo concludit, hodie in præſepio poſitus eſt? Quod ille qui prę magnitudine ambitu cæli non continetur, pannis inuolutus eſt? Quod ille qui portat omnia verbo virtutis ſuæ, parentis geſtatur vlnis? Quod ille de quo dicit propheta Dauid, A ſæ-

Hiere. 23. e.

Pſal. 92. a.

culo & vſque in ſæculum tu es Deus, factus eſt vnius diei infans ſuper terrã? Quis inquam hæc ſtupenda & inſolita non admiretur opera? Quapropter ſi de Ioanne iam recens nato dixerunt homines, quiſputas puer iſte erit? Quid non merito dicendum erat, quando talis ac tantus carnem aſſumpſit humanam? Siquidem hæc & his ſimilia non fragilitatis humanæ, ſed virtutis diuinæ ſunt inſignia, & ob id magna admiratione digna. Sequitur,

Maria autem conſeruabat omnia verba hæc,] Nimirum quæ ibi à paſtoribus dicebantur. Paſtores ſiquidem ex ordine referebant omnia, quæ ſibi erant ab angelo dicta. Maria autem ipſis narrãtibus memorię commendabat vniuerſa. Diſcit à paſtoribus, quid nunciarit angelus: quid cecinerit cęleſtis militiæ chorus. Contemplatur ſecum tacita nouam diuini conſilij rationem: hæc omnia quę prius & quæ nunc acciderant in animo conſeruans. Nos quoque à matre Domini exemplum ſumamus, & ea quę nobis de ſeruatore noſtro annunciantur, fideliter in corde conſeruemus, & præcepta eius vt ſecundum ea vitã noſtram inſtituamus, memorię tradere ſtudeamus. Nam de illis, qui verbum Dei audiunt & imo pectori non inſculpũt, ſcriptum eſt, quia venit Diabolus & tollit verbum de corde eorum ne credentes ſalui fiant. Verùm Maria non ſolum vt ſibi prodeſſet & ſuæ animę ſaluti conſuleret, hęc memoria cuſtodiebat: verùm etiam vt ipſa alios ea doceret, & enarraret: atque vt ipſa poſtmodum ea docente conſcriberentur & in vniuerſo mundo prædicarentur. Apoſtoli enim ab ipſa plurima didicerunt Domini geſta, maximè ea quę antequam eos vocaret, ſunt facta. Vnde poſt Chriſti aſcenſum ad patrem, omnes ad ipſam tanquam ad magiſtram recurrebant. Sequitur,

Conferens in corde ſuo.] Videlicet ea ipſa cum ſcriptis prophetarũ. Conferebat enim ea, quæ à Domino ſecum erãt acta, cum his, quæ nouerat à prophetis de Domino pṛdicta. Nam ſanctas ſcripturas legerat & prophetas ſciebat, & collata ad inuicem omnia concordia animaduertebat. Legerat enim, Egredietur virga de radice Ieſſe: Iam autem videbat ſe de ſtirpe Dauidis, qui Ieſſe erat filius, & ortam & natã. Legerat & Nazaręus de radice eius aſcẽdet: Iam autẽ videbat ſe in Nazareth de ſpirituſancto concepiſſe. Legerat & tu Bethlehę̃

Ephrata

Ephrata, paruulus es in millibus Iuda: Ex te mihi egredietur, qui ſit dominator in Iſrael: & egreſſus eius ab initio à diebus æternitatis. Iam autẽ videbat ſe in Bethlehẽ peperiſſe dominatorem Iſrael, qui æternus ex patre Deus, ante ſęcula natus eſt. Legerat, ecce virgo concipiet & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emanuel. Iam autem videbat ſe & virginẽ concepiſſe & peperiſſe filium: nomen autem eius vocaſſe Ieſum. Nam non ex virili ſemine, ſed Spiritu ſancto ſuperueniente concepit, angelo atteſtante, qui ait: Spiritusſanctus ſuperueniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi. Cõferebat ergo Maria verba prophetarũ, quę prius legerat, cum his quę iam facta cognouerat: & in omnibus concordiam videbat.

Cęterum iſta collatio erat ei valde delectabilis, quia dici non poteſt quàm fuerit gauiſa, cùm ſe Dei matrem cognoſceret. nec hoc mirum, ſiquidem matrem Dei eſſe, omnẽ quę poſt Deum vel dici, vel cogitari poteſt, excedit altitudinem.

Verùm quia neminem in contemplatiua vita perſeuerare oportet, ſed vnumquemque ſui officij memorem eſſe debere certum eſt, ideo ſubiungitur,

Et reuerſi ſunt paſtores,] Scilicet ad ſuos greges paſcendos, & à luporum incurſibus cuſtodiẽdos. Vnde manifeſtum eſt homini licere vt de tẽporalibus bonis ſollicitus ſit, dummodo propter ea non negligat Deũ, nec ea Deo pręponat, ſed illis ad honorẽ Dei vtatur & ad corporis ſuſtẽtationẽ. Seq.

Glorificantes & laudantes Deum in omnibus quæ audierant & viderant, ſicut dictum eſt ad illos.] Paſtores igitur propter ſollicitudinem, quam habebant de ouibus ſibi commiſſis, non neglexerunt Deum, ſed ei de acceptis beneficijs grati permanſerũt. nam corde glorificabãt, & ore Deum laudabãt, de omnibus, quæ ab angelo audierãt, & in Bethlehẽ proprijs oculis viderant, ſicut dictum eſt ab angelo ad illos.

Verum ſi paſtores ſola adhuc natiuitate eius cognita reuerſi ſunt glorificantes & laudantes Deum: quanto magis oportet nos qui totam incarnationis illius ſeriem ex ordine cognoſcimus: qui illum conceptum, natum, in mundo conuerſatum, & vt nos redimeret, paſſum ſcimus, qui ſacramentis illius imbuti ſumus, in omnibus gloriam eius ac laudem non ſolum verbis, ſed etiam factis prædicare, cui honor & gloria in ſæcula ſęculorum, Amen.

DE QVATVOR VIRTVTIBVS CARDINALIBVS, ET DE OCTO beatitudinibus ex principio vndecimi capitis Esaiæ Prophetæ explicatio,

Authore Henrico Luytenio, sacræ Theologiæ Baccalaureo, nec non Ecclesiæ Metropolitanæ Mechliniensis Canonico.

CLARISSIMO VIRO DOMINO RVMOLDO *Vergheest Antuerpiano sacræ Theologiæ Baccalaureo, & iuris utriusque Licentiato doctissimo, nec non Ecclesiæ Metropolitanæ Mechliniensis Decano, Henricus Luytenius Mechliniensis S. D.*

CVM *propter tuas singulares animi dotes ornatissime vir maximo in precio sis, tum apud illustrissimum nostrum dominum Cardinalem, cuius strennuum vicarium agis, tum apud quàm plurimos alios, in animum induxi meum, vt tibi libellum meum De septem donis Spiritussancti conscriptum dedicarem, vt & ipse propter tuam authoritatem ab omnibus maximi pendatur, & omnium manibus quamdiligentissimè teratur. Quapropter eum tibi dedico, & vt munus quamuis exiguum tibi acceptum sit, rogo. Mechliniæ decimo sexto Kalendas Decembres, Anno à Christo nato*

M. D. LXIIII.

ENARRATIONIS PRINcipij vndecimi capitis Esaiæ Prophetæ explicationem septem donorum Spiritussancti, quatuor virtutum cardinalium, & octo beatitudinum complectentis, CAPVT PRIMVM.

EGredietur virga.] Esaiæ vndecimo, A. Virgo Dei genitrix virga est, simplex, pura, syncera, nullo composito semine; sed Dei vnione fœcunda. Hanc ipsam concipientem quamuis virum non cognoscentem virga Aaron florida, nec humectata portendebat. nam sicut hæc Aaron virga quamuis planè esset arida, nihilominus tamen sequenti die in domo Leui germinasse, & turgẽtibus gemmis in flores erupisse, est inuenta: Ita quoque Maria quanquàm virgo esset intacta, & talis semper permansura, nihilominus tamen Dei vnione facta est puerpera. Et quemadmodum flores virgæ Aaron folijs dilatatis in amygdalas deformati sunt: ita quoque flos Mariæ virginis dum penderet in cruce in victimam suauissimam deformatus est. Sequitur:

de radice Iesse.] id est, de progenie Iesse, qui fuit pater Dauid. Pater namque Dauid vel Isai vel Iesse vocabatur: hinc Numeri secundo: Orietur stella ex Iacob, & consurget virga de Israel; nimirum per progeniem Iesse. Sequitur:

& flos.] Flos iste filius est Mariæ virginis, qui hic flos propter decôris pulchritudinem nuncupatur. hinc Canticorum quinto: Christus candidus & rubicundus & electus ex millibus nominatur. Candidus quidem plenitudine ac puritate virtutum: quia nullum omnino peccatum faciens iustitiæ pulchritudinem ex integro seruauit. Rubicundus autem in passione & martyrio: quia tanquàm peccator esset, ad mortis passionem accessit, nihilominus tamẽ sicut flos odorem suum succisus reseruat, & contritus accumulat, nec auulsus amittit: ita & Dominus Iesus in illo patibulo crucis (vt inquit Ambrosius) nec contritus emarcuit, nec auulsus euanuit: sed illa lanceæ punctione succisus sacro speciosior fusi coloris cruore vernauit, mori ipse nesciens, & mortuis vitæ æternæ munus exhalans. Electus verò ex millibus, quia ex totius humani generis

neris massa, nullus, excepto eo, sine peccato reperitur. Ipse verò non solùm expers omnis peccati extitit: verumetiam peccatores sua iustitia & sanguine redemit. Vel electus ex millibus in resurrectionem, vt qui erat primogenitus omnis creaturæ, primogenitus fieret ex mortuis. Rursus Canticorum secundo, A, Christus se vocat florem campi, & lilium conuallium: non autem florem horti, nec lilium montium: nam flos horti plantatur ab hominibus, irrigatur & fouetur ab hominibus: non sic flos campi, qui sine omni humano crescit admi niculo, non plantatus ab aliquo, non impinguatus fimo. Sic omnino sic Christus floruit, qui absque omni humana prodijt industria: nec nostra qui fragiles & mortales sumus, indiguit opera. Præterea flos campi est, non horti: quia omnibus æquè paratus & expositus. Lilium autem vocatur & est conuallium, non montium: quia superbos despiciens, corona est humilium, qui de se præsumere nesciunt. Sequitur:

de radice eius ascendet.] Mira res. Quis vnquàm vidit florem de radice ascēdere? Vidimus quidem & sæpè vidimus de ramis, nunquā autē de radice florem pullulasse. Quî fit igitur vt propheta dixerit florē de radice, & non potius de virga ascensurum? dixisse quidē poterat & flos de virga seu virgine, sed dicere maluit de radice, vt vnde virgam, inde & florem duxisse originem, cōmonstraret: vt non aliundè sumptam esse Christi carnem quàm virginē ortam ostenderet. Hinc erroris conuincuntur hæretici, qui asserunt Christum veram non habuisse carnem. nam si Christi caro ex eadem radice ex qua virginis, prodierit: sine dubio ab origine cōmunem probatur ha buisse materiam. Si igitur virginis fuerit vera caro, vt vno ore confitentur omnes: & Christi fuisse veram carnem necesse est. Præterea qui dicunt Christum quidem habuisse veram carnē, sed non ab Adam propagatam, sed vel ex aëre vel cælo assumptam, vel saltem in beata virgine à Deo ex nihilo creatam, etiam falsitatis rei & obnoxij tenentur: nam si inde sumpta Christi caro, vnde orta virgo: ergo dici non potest vel de cælo allata, vel à Deo in beata virgine ex nihilo creata. Sequitur:

Et requiescet super eum Spiritus Domini.] hoc factū est quando Ioannes baptizauit Christum: nam Christo baptizato & orante (vt habemus Lucę tertio, E, apertum est cęlum, & descendit Spiritus S. corporali specie sicut columba in ipsum:

ſum:& vox de cælo facta eſt, Tu es Filius meus dilectus:in te complacui mihi. Atque hoc ipſum à Deo acceperat Baptiſta ille ſignum vnde cognoſceret ſaluatorem mūdi. hinc Ioannis primo,E, Qui miſit me baptizare in aqua,ille mihi dixit: ſuper quem videris Spiritum deſcendentem & manentem ſuper eum,hic eſt qui baptizat in Spirituſancto.Et ego vidi & teſtimoniū perhibui,quia hic eſt Filius Dei.Vidi inquam nimirū Spiritum deſcendentem quaſi columbā de cælo & manentem ſuper eum:quemadmodū habetur in verbis Euangelij præcedentibus. Requieuit autem & manſit ſuper eum,non ad tempus,ſed ſemper: nam quem inſeparabili poſſedit iugitate, ſuper illum perpetua & æterna permāſit habitatione,nequaquā per partes, vt in cæteris ſanctis, ſed planè iuxta omnem diuinitatis plenitudinem, atque adeò omnia Spirituſſancti dona. Hinc ſequitur:

Spiritus ſapientiæ,& intellectus : Spiritus conſilij, & fortitudinis : Spiritus ſcientiæ, & pietatis: & replebit illum Spiritus timoris Domini.] Idem eſt Spiritus,qui hæc diuerſa dona largitur.

Illud autem diligētius eſt intuendum quod non dixerit:& requieſcet ſuper eum Spiritus timoris Domini : ſicut de illis prioribus dixerat.Sed replebit,inquit,eū Spiritus timoris Domini:nimirū ne ex multitudine donorū ſuperbus crederetur, ſicut de primo angelo dicitur,Ezechielis 28.In multitudine ſapientiæ tuæ repleta ſunt interiora tua iniquitate. nā ſi timor Domini,quo mens humana ne ſuperbiat,retinetur,non partē, ſed totam eius occupauerit mentem:euidens indicium eſt ab omni mentis eius parte ſecluſum fuiſſe ſuperbiæ venenum.

CAPVT SECVNDVM.

CAETERVM Propheta Eſaias quia de cæleſtibus ad ima loquebatur, cœpit à ſapientia & peruenit ad timorē Dei, tanquàm de ſublimi deſcendens ad nos:vt nos qui à terrenis ad cæleſtia tendimus,doceret à timore Dei ad ſapiētiam vſque aſcendere:nam cùm initiū ſapientiæ ſit timor Domini: cōſtat procul dubio quia à timore Domini tandem quamuis per multa media ad ſapientiam peruenitur. nam à timore ad pietatem: à pietate ad ſcientiam : à ſcientia ad fortitudinem: à fortitudine ad conſilium:à conſilio ad intellectum:ab intellectu ad ſapientiam acceditur. vnde conſequitur quod à ti-

more ad ſapientiam per multa media aſcenditur. Quia initium ſapientiæ timor eſt Domini.

Vt igitur ſicut ille non deficiendo,ſed docendo à ſapientia ad timorem vſq; deſcendit: ſic nos non ſuperbiendo ſed proficiendo à timore ad ſapientiã vſq; aſcendamus,operæprecium eſt. Intelligamus hic non eſſe mentionem timoris mundani, ſiue humani,quo timemus perdere huius ſeculi bona,vel pati mundana carnis pericula. nam hic timor,quia propter eũ peccamus & delinquimus, malus eſt & à Domino in Euangelio prohibitus,dum dicitur Matthæi x.C, Nolite timere eos qui occidunt corpus: animam autẽ non poſſunt occidere.Deinde nec eſt mentio timoris ſeruilis quo ſe continet homo à peccato propter timorẽ gehennæ.Illum enim ſeruilem ſuppliciorũ timorem verus Dei filius qui peccatum non fecit, nec dolus inuẽtus eſt in ore eius,habere non potuit.nam hunc timorem quamuis proficiſcatur à Spiritu S. perfecta charitas, quæ in Chriſto ſemper extitit,foras mittit. Hinc primæ Ioan.iiij.D, Timor non eſt in charitate: ſed perfecta charitas foras mittit timorem. Rurſus nec eſt mentio timoris initialis,quo excludere incipimus timorem ſeruilem, & amare quod durum eſt virtutis amore. nam cùm in Chriſto ſemper perfectiſſima charitas fuerit,hunc initialem timorem habere non potuit. Sed mentio eſt timoris filialis,ſiue caſti, & amicalis: non quidem iuxta omnes eius vſus & quæ modo habet officia: nam hic timor facit timere, ne Deum quẽ diligimus offendamus, & ne ab eo ſeparemur:facit etiam reuereri eundem.Verum hęc omnia in Chriſto locũ non habuerunt.nam Chriſtus nec timuit ne offenderet,nec metuit ne ſepararetur:ſed dumtaxat timuit timore reuerentiæ: cuius obiectũ eſt eminentia Dei non abſolutè,ſed vt cauſa mali: & quatenus eius potentia malum infligere poteſt.Quia bonum quamuis eminens habetur,non niſi in ordine ad malum timetur.Quod non ita accipiendum eſt, quaſi Chriſtus timuerit,ne ſibi potentia eminẽtię Dei malum aliquod infligeret. nam ſciebat eminentiam Dei ad non cauſandum in ſe aliquod malum eſſe determinatã. Quod quãuis certiſſimè præſciret,tamen quia contemplabatur diuinã eminentiam,vt cauſam,quantum in ſe ad infligendũ aliquod malum ſufficientem & potentem,ideo in eum timor reuerentialis ad illam qua ſe totum,inquantũ homo diuinæ excellentiæ

ſubmittebat,inſurgebat. Atque hic timor eſt,quo Chriſtus hic repletus fuiſſe dicitur: & de quo habemus ad Hebræos 5. C, dum Chriſtus pro ſua reuerentia exauditus fuiſſe perhibetur: & Pſalmo xviij.C,dum dicitur, Timor Domini ſanctus permanēs in ſeculum ſeculi. Permanens,inquā, non ſolū in Chriſto,verūetiam in angelis & animabus ſanctis feliciter viuentibus:& in nobis etiam poſt hanc vitā in Chriſto victuris: qui tunc hoc pręſtabit in nobis,vt Deū præ omnibus reuereamur, diuinæ eius eminentiæ nos totos ſubmittentes:non autem vt offendere aut ab eo ſeparari timeamus. Metus igitur offenſionis vel ſeparationis nūc non eſt in angelis, nec in animabus ſanctis,nec in nobis erit in futuro:ſed reuerētia, per quam ex amore diuinę eius voluntati nos totos ſubmittimus. nihilominus tamen timor reuerentialis non humilitas,ſed principium eſt humilitatis. nam quēadmodum nolle ſubdi Deo eſt initiū ſuperbiæ,iuxta illud Eccleſiaſtici 10.B, Initium ſuperbiæ hominis apoſtatare à Deo, hoc eſt, nolle ſubdi Deo:ita quoque velle ſubdi Deo,attenta eius eminentia potente infligere malū,eſt initiū humilitatis:& actus doni timoris Domini. Quapropter dona Spiritus S. ſunt principia virtutū intellectualiū & moralium:ſicut virtutes theologicę ſunt principia donorū.

Quamuis autē donum timoris non niſi quoad vnicū ſuum actum,qui eſt Deum revereri,in Chriſto locum habuerit: tamē in nobis etiam quoad alios eius actus reperitur. nos enim facit timere, ne Deum quem diligimus offendamus, & ne ab eo ſeparemur. Quod ne fiat, à delectationibus prauis nos recedere facit. Quapropter donū timoris reſpondet virtuti cardinali temperantiæ tanquā circa eadem exiſtens,eamq; perficiens. Sicut enim ad temperantiā ſecundum eius propriam rationem pertinet,vt hominem propter bonum rationis à delectationibus prauis recedere faciat:ita quoque ad donū timoris ſecundū eius propriam rationem ſpectat,vt hominem à cupiditatibus noxijs ad vitandā Dei offenſam continere ſe ſupra naturalem facultatem cōpellat. Vnde Pſalmiſta Pſalmo 118. ad Dominum clamat dicēs:Confige timore tuo carnes meas: à iudicijs enim tuis timui. Quando enim caro concupiſcit aduerſus ſpiritum, ſpiritus autem aduerſus carnem, præſidio timoris Domini mens humana transfigitur, continentiæ clauis retinetur,ne ſurſum vocatus animus deſiderijs terrenis deprimatur:

primatur;ne ad æterna præelectus perituris occupetur: ne viã veritatis ingressus,fallacibus illecebris retardetur. Quid enim est clauis timoris Dei configi, nisi corporeos sensus ab illecebris illiciti desiderij sub metu diuini contineri iudicij:& corporeas cupiditates virtute Spiritus timoris Domini in se habitantis interfici? Quo fit vt fideles hæc tẽporalia ita decurrant, vt ea ęternorũ admiratione despiciant,& peregrinari se in hac mundi valle cognoscant. In qua etiam si quædam blandiãtur cõmoda,non nequiter sunt amplectẽda,sed fortiter transeunda. Quamobrem clauis timoris Domini quibusdã velut vinculis mens humana constringitur,ne cupiditatibus noxijs cõsensus præbeatur. Hinc Prouerb.8.B.Timor Domini odit malũ, & Prouerb.15.D,Per timorem Domini declinat omnis à malo.& Ecclesiasti.1.C,Timor Domini expellit peccatum,nimirum mundando à peccatis præteritis, & cauendo à futuris. & ob id qui sine timore est,non poterit iustificari.vnde Dauid cũ multa horrenda peccata,quibus impij Deum lacessunt, & inhonorant,enumerat:causam omnium & radicem tantorũ malorum in fine addit dicens:non est timor Dei ante oculos eorum. Quapropter qui hoc non habet Spiritussancti donum,in omnem quàmfacillimè prolabitur malitiã. Ecõtrario autem qui hoc assecutus est,omnẽ odio prosequitur iniquitatẽ: iuxta illud Psalmi 118.Iniquitatem odio habui & abominatus sum: & alio in loco,oẽm viam iniquitatis odio habui. Quare huius doni actus est lugere peccata & aliorum & nostra. De quo habemus Matth.5.A, Beati qui lugent,quoniã ipsi consolabuntur. Sunt enim beatitudines non habitus nec virtutis, sed perfectarum virtutum & donorum actus. Præterea iste diuinus timor,quẽ perfectè imbuit,paupertati spiritus subijcit. Vnde & huius doni actus est pauperem esse spiritu. de quo similiter Matth.5.A. Beati pauperes spiritu, quoniã ipsorum est regnũ cælorum. non homo ex consideratione diuinæ excellentiæ & propriæ vilitatis (ex qua præcipuè, vt dictũ est, ratio timendi Deum sumitur)in nihilũ in corde suo redigitur,imperfectum suum confitetur, suam paupertatem videt, seipsum agnoscit, humiliter de seipso sentit,nihil per inanem gloriam agit,& se sub potẽti manu Dei humiliat. Hinc bene dixit Gregorius capite xxxij. primi libri moraliũ super Iob: Quod timor in die suo conuiuium facit:quia dum premit mentem,ne de pręsen-

tibus superbiat, de futuris illam spei cibo cōfortat. Transfigit autem mentem, vt superbiēdo non exorbitet, ne celsitudinem Dei, cuius potestate malum infligi potest, offendat. nec solùm ob id superbire renuit, verumetiā omnia tēporalia, ne propter illa Deus, qui super omnia diligēdus est, offendatur, floccipendit & despicit: & quāuis non semper re ipsa, tamen semper animo vniuersa deserit, mundo abrenunciat, & semet ipsum sibi abnegat. Hinc Lucæ nono, C, Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucē suam quotidie, & sequatur me. Abneget inquā semet ipsum, ne propter amorem sui separetur à Deo. Vnde Dominus, Ioan. 12. Qui amat animā suam, scilicet amore carnali, perdet eam: & qui odit animam suā in hoc mundo cōcupiscentias eius ei denegando, in vitam æternā custodit eam. Hinc rursus scriptū est Ecclesiastici 18. post concupiscentias tuas non eas, & à voluntate tua auertere. hoc facis dum carnem tuā cum vitijs & cōcupiscentijs crucifigis, dum carnis curam in desiderijs non facis. Quare huius doni effectus est esse mundo corde, de quo Matth. 5. A. Beati mūdo corde, quoniā ipsi Deum videbūt. Cor enim à peccatis habere mundum, est affectum ab inordinatis affectionibus esse purū. Id quod per donum timoris Domini efficitur. Timor namq; Domini nos à delectationibus prauis & inordinatis affectionibus recedere facit. Quamobrem donum timoris hoc modo definiri potest: Donū timoris, donum est, aut si mauis, habitus infusus, quo perficitur homo supra naturalem facultatem ad recedendum ab affectionibus prauis, ne Deum quem diligit offendat, & ne ab eo separetur: & quo mouetur homo ex instinctu Spiritussancti, vt Deum & summā Dei maiestatem præ omnibus reuereatur. Reuereri autem Deum præ omnibus est attenta Dei celsitudine potente ad inferendum malum se totum Deo submittere, ne aliquod ei ab eo malū inferatur. Donum enim timoris propriè & per se respicit excellētiam boni diuini: malum autem potestate Dei infligendum dumtaxat ex consequenti. Ex quibus omnibus manifestū est, quod sine hoc Spiritussancti dono nullum bonum pullulare vel manare potest: vnde scriptum est Ecclesiastici 27. A. Si non in timore Domini tenueris te instanter, citò subuertetur domus tua. Omne namq; virtutum ædificium ilicò vergit in præcipitiū, si huius gratiæ amiserit præsidium. Quid plura? Connexa sunt timor

&

& religio, nec manere poteſt alterum abſq; altero, vnde Cornelius vir religioſus ac timens Deum: & Simeon iuſtus & timoratus deſcribitur. Cæterum vbi Hebræa exẽplaria vnicum vocabulum ſignificans timorẽ habent: noſtra Spiritus pietatis & Spiritus timoris cõtinent. Eò quòd ſeptuaginta interpretes Hebraicam dictionem יראת, quę timorem ſignificat, in duas nempè in pietatem & timorem diuidant. Ob id fortaſſis, quia Dei timens, Deum colere non omittit. Quare quamuis in Hebraica veritate non niſi ſex: tamen in noſtris exẽplaribus ſeptẽ Spirituſſancti recenſentur dona. Atq; hunc ſeptenarium numerum tanquã myſterio ſacramentorum Eccleſiæ cõuenientem hactenus obſeruauit & obſeruat Eccleſia. Et ob id iam de pietate quam ſeptuaginta interſeruerunt, diſſerendum eſt.

CAPVT TERTIVM.

QVONIAM igitur non ſufficit vitare mala, niſi faciamus & bona: ideo de dono pietatis, quod ad peragẽda opera bona eſt ordinatum, reliquum eſt vt dicamus. Ipſum itaque pietatis nomen reuerẽtiæ & honoris cultum, quem parentibus & patriæ debemus, importat. Cùm ergo ea, quæ ſunt creaturarum per quandam ſuperexcellentiam & cauſalitatem transferantur in Deum: ideo & cultus Dei vt patris rectiſſimè pietas nominatur. Quare pietas, quatenus virtus eſt, carnalem colit patrem: quatenus verò Spirituſſancti donum, eſt Deo cultũ honoris exhibet vt patri. vnde dicitur Malachiæ primo, B, Si pater ego ſum, vbi eſt honor meus? Donũ ergo pietatis habitus eſt infuſus, quo ex inſtinctu Spirituſſancti promptè mouetur homo ad exhibendum Deo vt patri reuerentiæ & honoris cultum. Quapropter quamuis quæ Deum colit religio pietate virtute, quæ patri carnali cultum reuerentiæ exhibet, excellentior ſit: tamen donum pietatis, quod Deo vt patri cultũ honoris præbet, religione quæ Deo vt creatori & Domino ſeruit, præſtantius eſt: nimirum cùm excellentius ſit Deo vt patri, quàm Deo vt creatori & Domino exhibere cultum. nam Deo vt Domino & creatori etiam timore pœnę: ſed Deo vt patri cultum exhibemus nõ niſi amore iuſtitię. Hinc Malachię primo, B, Si pater ego ſum, vbi eſt honor meus? & ſi dominus ego ſum, vbi eſt timor meus? vnde vt Deo tanquã patri honoris cultum exhibeamus, quotidie in noſtris orationibus dicere iubemur: Pater noſter qui es in cęlis, ſanctificetur nomen tuũ.

nimirũ vt quotidie nos Dei filios esse recordemur. Solẽt enim filij diligentius, quàm serui & famuli ea, quæ patris sunt, exequi: sicut & ea, quæ amore iustitię, quàm quæ timore fiunt pœnæ, solita sunt esse meliora. Hinc perspicuũ euadit huius doni actum esse esurire & sitire iustitiam. de quo Matth. 5. A, Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur. Esurire enim & sitire iustitiam, nõ seruorum, sed filiorum est: quia in his non solùm magnitudo, sed etiam pręualẽtia appetitus describitur. Esuries namq; & sitis reliquis nostris præualent appetitionibus. Vnde imperij & gloriæ & reliquorũ desideria posthabet esuriens & sitiens. Quare hæc non seruorum, qui quasi inuiti & audiunt & faciunt iustitiã Dei, sed filiorum qui eam ex summo cordis desiderio, omniq; amplectuntur cupiditate, esse deprehenduntur: his enim non sufficit iustitiam velle, nisi & iustitiæ famem & sitim patiantur. Quamobrem si nos Dei velimus filios, nunquã satis iustos, sed semper esurire & sitire debere iustitiæ opera intelligimus. Siquidem Dñs vult nos in ista vita ita ad iustitiam anhelare, quasi nũquàm simus ea satiati. Quapropter quilibet nostrũ gustum iustitiæ vel exiguũ studeat experiri, vt eo ipso desideret amplius & amplius mereatur, sicut scriptum est Ecclesiastici 24. C, Qui odit me, adhuc esuriet: & qui bibit me, adhuc sitiet. Hoc enim cognatũ magis spiritui, & naturalius desiderium, vehementius occupat cor humanum: & inutilia viriliter desideria pellit. Sic nimirum fortem armatum fortior superat: sic clauus, clauo solet extrudi. Donum itaq; pietatis est, quo Deo vt patri summa diligentia, summoq; desiderio & studio debitum honoris exhibemus cultum: & quo filialem ad Deum vt ad patrem habemus affectum: & ex consequenti, quo omnia ea, quæ Dei patris sunt, summo in precio habemus: nimirum sanctos, sacram scripturam, pauperes, & nosmetipsos: idque propter Deum, vt omnium patrem, & in quantum imaginem gerunt Dei patris. Sicut enim per pietatem, quæ virtus est, officiũ non solùm patri carnali, sed etiam omnibus sanguine iunctis, quatenus ad patrem spectant, exhibetur: ita quoq; per pietatem, quæ Spiritussancti donum est, honoris cultus non solũ Deo vt patri, sed etiam omnibus hominibus, inquantũ pertinent ad Deum Patrem, tribuitur. Quamobrem ad ipsum pertinet honorare sanctos, non contradicere scripturę sacræ, siue intellectæ siue nõ: &

& ſubuenire in miſeria cõſtitutis. Hinc bene dixit Gregorius cap.xxxij.primi libri moralium ſuper Iob: Quod pietas in die ſuo conuiuium exhibet, quia cordis viſcera miſericordiæ operibus replet. Quáobrem & huius doni actus eſt eſſe miſericordem, de quo Matth. 5. A, Beati miſericordes, quoniã ipſi miſericordiam conſequentur. Quod autẽ beatus Auguſtinus in libro de ſermone Domini in monte dicit miſericordem eſſe reſpondere dono conſilij: & eſurire & ſitire iuſtitiam dono fortitudinis, nihil nos remoratur. Siquidẽ beatus Auguſtinus ibi loquitur de beatitudinibus & donis non conſiderata conformitate materię, nec attentis proprijs ipſorũ rationibus ſecundum obiecta ipſorum & actus: ſed dũtaxat beatitudines attribuit, donis cõſiderato ordine enumerationis, atq; adeò ſecundum enumerationis ordinem. Vnde primã beatitudinem attribuit infimo dono, timori ſcilicet. Secundã autem accõmodat pietati, & ſic de alijs: conſiderata tamen aliqua conuenientia. nos autẽ hîc loquimur de beatitudinibus & donis ſecundum obiecta ipſorum & actus, & cõſiderata conformitate materiæ. Vnde rectè dicimus, miſericordem eſſe reſpondere dono pietatis: nam pietas quẽadmodum & miſericordia ſubuenit in miſeria conſtitutis. Cibat famelicos & eſurientes: potat ſitientes, vel ſaltem calicẽ aquæ frigidæ, ſi aliud non habeat, dat ſitientibus: veſtit nudos: redimit captiuos: colligit peregrinos: viſitat ægrotos: ſepelit mortuos: inſuper docet ignaros: ſuadet errantibus: corripit peccantes: conſolatur triſtes: parcit inimicis & offendentibus: aliorũ onera portat: & iniuriam ſibi illatam patiẽter fert: pro peccatoribus & afflictis orat. Quapropter dono pietatis proximis noſtris perinde atq; nobis ipſis bene conſulimus atque auxilio ſumus. Ad hæc vera pietas quantum poteſt prçuaricatores excuſat: aliorũ defectus extenuat: ſed ſuos penes ſe & ſubinde apud alios manifeſtat & exaggerat. Vnde Chriſti imitatur exemplum, qui pro ſuis crucifixoribus orans, eos, quid facerent, ignorare dixit. Sic & diuus Petrus, Nunc ſcio fratres, inquit, Actorũ 3. quia per ignorãtiam Filium Dei crucifixiſtis, ſicut & principes veſtri. Sic & Paulus ad Roma.x. perſecutores ſuos excuſat dicens: Teſtimoniũ perhibeo illis, quod æmulationẽ Dei habent, ſed non ſecundum ſcientiam. Quare hæc pietas ad omnia vtilis eſt, promiſſionẽ vitæ habẽs, quæ nunc eſt, & futuræ, ipſamque ſupergreditur miſericordiã: nam

nam misericordia subuenit indigentibus in omnibus, quēadmodū & aliæ virtutes aliquid humani pro mensura accipiens: nimirū quia sunt coniuncti vel sanguine vel familiaritate, vel saltem naturæ similitudine. Pietatis autem donum semper aliquid diuini pro mensura attendit, & ideo opem fert miseris, inquantū Dei sunt filij, vel ad eius imaginem creati, & diuina similitudine insigniti. Quare pietas imaginē Dei in proximo attendit & Deum honorat in eo, & finē suæ beneficentiæ statuit Deum. Vnde fit vt neminē quantumuis vilē & abiectum despiciat, & contemnat: quia nemo tam est vilis aut abiectus quin ad imaginē Dei creatus sit, eamq́; præ se ferat. Hinc Malachiæ 2. C, Nunquid non pater vnus omniū nostrū? nunquid non Deus vnus creauit nos? Quare ergo despicit vnusquisque vestrum fratrem suum, violans pactum patrum nostrorum? vnde admonentur hîc diuites, vel secundum seculum genere nobiles non superbire aduersus pauperes & ignobiles, quoniam vnà cum ipsis dicunt Deo: Pater noster, qui es in cęlis, &c. Quod verè & piè dicere non possunt, nisi se fratres esse cognoscant. Quanquā autem postremus iste pietatis actus, videlicet miseris subuenire post diem iudicij locum nō habeat: tamen præcipuus eius actus, qui est honoris cultum exhibere Deo affectu filiali, tunc locū habiturus est: iuxta illud Sapientiæ 5. Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei: & inter sanctos sors illorum est. vnde hi affectu filiali honorāt Deum: iuxta illud Psalmi: Beati qui habitant in domo tua Domine: In secula seculorum laudabunt te.

Quamuis autem dono pietatis, quod est ad operandum ordinatum, perficiatur virtus cardinalis, quæ consistit in operando ea, quæ ad alterū sunt, nimirū iustitia; nomen tamen huius doni non à iustitia, sed à parte iustitiæ, quę est pietas, sumitur: quia iustitia eò quòd à rectitudine rationis imponatur, conuenientius virtutis quā doni nomen est. Pietatis autē nomen complectitur omnem, quem debemus his, à quibus vitam habemus & quibus bene volumus, affectum & cultū. Quare donum illud Spiritussancti, quo aliquis propter reuerentiā & honorē Dei bonū operatur ad omnes, cōuenienter pietas nuncupatur. Vnde colligitur quod & huius doni actus est, esse pacificum. de quo Matth. 5. A, Beati pacifici, quoniā filij Dei vocabuntur: nam vt inquit Esaias cap. 32. suæ prophetiæ: Opus iustitiæ

ſtitiæ pax. Si autem pax actus eſt iuſtitiæ, multo perfectius doni pietatis. Per hanc enim iuſtitia perficitur.

Verum quia non ſufficit bona facere, niſi & bene fiant: ideo pietas ad alium eſt ſubleuanda gradum, nimirũ ad ſcientiam: vt ſciat quiſque quid vel ex miſericordia puniat, vel ex pietate dimittat: nam inordinata pietas dum temporaliter parcit, ad æternum ſupplicium pertrahit. Vnde valde inutilis eſt pietas, ſi ſciẽtiæ diſcretione careat. Vt ergo ea vera & ordinata ſit, dono ſcientiæ opus eſt. Id quod hoc modo definiri poteſt: Donũ ſciẽtiæ humanarum rerum cognitio eſt. Aut ſi mauis, quædam perfectio mentis humanæ, per quã dirigitur homo ad ſequendum inſtinctũ Spirituſſancti in cognitione humanorũ. Quod ne & dono intellectus competat, addendum eſt, quantum ad eorum iudiciũ. nam dono intellectus tam res apprehendimus humanas quàm diuinas. Vnde conſequitur illo dono nos induci in cognitionem humanorum. Quod quãuis verum ſit, quantum ad eorum apprehenſionem: non tamen quantum ad eorum iudicium. De rebus igitur iudicare humanis doni eſt ſcientiæ, non autem doni intellectus. Quapropter ſcientiæ donum definiri poteſt habitus infuſus, quo potentia intellectiua rectè iudicat, determinat, & diſcernit de rebus humanis. Huius doni actus eſt per res creatas, Deũ aut ea quæ Dei ſunt, cognoſcere. de quo beatus Paulus ad Roma. 1. loquitur dicens: Inuiſibilia Dei per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur, ſempiterna quoque eius virtus & diuinitas. Rogabis an'ne hoc magis doni ſit ſapientiæ quàm ſcientiæ? Reſpondeo quod non. nam quilibet habitus cognoſcitiuus formaliter medium, per quod aliquid cognoſcitur: materialiter autem id, quod per medium cognoſcitur, reſpicit. Quare per res creatas in Dei notitiam peruenire magis ſciẽtiæ, ad quam pertinet formaliter: quàm ſapientiæ, ad quam pertinet materialiter, deputatur. Quia id quod formale eſt potius & præſtantius eſt. Quamobrem donum ſcientiæ dici poteſt lumen Spirituſſancti, quo intellectus humanus per res creatas cum

lum & eligere bonum. Per hoc cognoſcit, quæ eſt voluntas Dei bona, beneplacens & perfecta. Quare hæc eſt ſuperemi-nens ſcientia Domini noſtri Ieſu Chriſti, própter quam Apoſtolus omnia pro damnis duxit, habuítque pro reiectamẽtis, quæ prius lucra putauit. Hæc eſt ſcientia veritatis, ad quam ſeipſos amantes nunquã peruenient. hæc eſt ſcientia ſanctorum, quam odio habent imprudentes. Vani enim ſunt omnes homines, quibus hæc Dei ſcientia deeſt. Cęterùm ſcientiæ opponitur ignorantia. hinc bene dixit Gregorius cap. xxxij. primi libri moralium ſuper Iob: Quod ſcientia in die ſuo conuiuium parat, quia in ventre mentis, ignorantię ieiunium ſuperat. Intelligit autem Gregorius per mentis ventrem, cognitionis repletionem. Vnde hoc pacto dicere potuiſſet, Scientia ignorantiæ ieiunium ſuperat & ventrem mentis cognitione replet. Quorum primum ad ſtatum pręſentem: poſterius verò etiam pertinet ad futurum. huic etiã oppoſita eſt ſcientia humana, quæ inflat, decipit, & ſtultos facit homines, cuius finis eſt ſcire ad oſtentationem, & quęſtum. hæc extollit ſe aduerſus ſcientiam Dei, & mera vanitas eſt. Porrò quia ad prudentiam quæ virtus eſt cardinalis, non ſolum pertinet conſilium, verumetiam iudicium: ideo prudentia quoad iudicium, perficitur dono ſcientiæ, ſed quoad conſilium, per donũ conſilij.

Ad Philip. 3. b.

CAPVT QVARTVM.

SED quia non ſufficit ſcire quid agere quis debeat, niſi & virtutem agendi habeat: ideo vt ſcientia noſtra ad fortitudinem creſcat neceſſe eſt: vt cùm videt, quid agendum ſit, hoc agere per mentis fortitudinem poſſit, ne timore trepidans & pauore collapſa, non valeat bona defendere quæ ſentit. Hanc ob cauſam bene à ſcientia ad fortitudinẽ aſcenditur, quæ (vt & hanc intelligas) hoc pacto definitur: Donum fortitudinis habitus eſt infuſus, quo homo mobilis eſt à Spiritu S. ſupra naturalem facultatem ad promptè ſuſtinendas omnes ſiue in paſſionibus ſiue in operationibus difficultates, quæ in rebus euenire vel accidere poſſunt humanis. Vnde manifeſtum eſt donum fortitudinis ad materiam fortitudinis, vt eſt ſpecialis virtus, non arctari. nam fortitudo, quæ eſt virtus ſpecialis, dũtaxat circa timores & audacias in re maximè terribili videlicet morte, atque circa horum obiecta verſatur, nimirũ circa pericula mortis & labores, qui ipſam repentè afferre poſſunt mortem.

mortem. hinc Aristoteles hominem definiens fortem dicit: quòd is homo fortis propriè dicitur,qui circa honestam mortem & ea omnia, quæ repentè eueniũt atque afferunt ipsam, interritus est. Verùm donum fortitudinis non solùm ad hæc, verumetiã ad omnia difficilia atque adeò ad totam fortitudinis materiã,vt est virtus generalis,se extendit,nec solùm moderatur timores & audacias & eorum obiecta:verumetiã irã, tristitiã,& cętera difficilia omnia,quæ in humanis rebus accidere possunt. Quare mitem esse,de quo Matth.5.A,Beati mites,quoniam ipsi possidebunt terram,huius doni actus est. Est enim doni fortitudinis iram vincere,indignationẽ cohibere. Id quod & faciunt mites, hi enim non solùm non offendunt, verumetiã improbitatibus cedunt.non resistunt malo,sed vincunt in bono malum. Qui igitur non prouocantur ad iram, etiam habita iusta causa,quia supra humanã operantur facultatem,donũ fortitudinis habent. Qui autẽ irascuntur,sed non nisi habita iusta causa,modo irã temperent,& temperatè irascantur,virtutẽ mansuetudinis obtinẽt. Quemadmodum qui timent vbi,quando,& quantũ est timendum, virtutẽ fortitudinis habent:sed qui nulla in re quantũuis terribili cõfisi Dei auxilio expauescũt,quia operando vires excedunt humanas, donũ fortitudinis assequuti sunt. Rogabis fortassis,an aliquis inueniri possit,cui nulla res quantũuis terribilis metum incutit? Dico multos tales & esse per Dei gratiam inuẽtos & iam adhuc inueniri,modo loquamur de terrore,hominem ab eo, quod est rationis,auertente. Multi enim quãuis inopinato rerum infestantium metu quatiãtur,tamen per terrorem & metum ab eo,quod est rationis,non abducuntur. Vnde Sapiens Prouerb.28.A, dicit: Iustus vt leo confidit,& absque terrore erit. Item Prouerb.12.D, Non contristabitur iustus,quicquid ei acciderit. hinc & Apostoli ibant gaudentes à cõspectu concilij,quoniã digni habiti sunt pro nomine Iesu contumelias pati. Et vbi Petrus ad vocem ancillæ prius expauit,postquàm virtute huius doni fuit indutus ex alto, in bono immobilis permãsit,occidi potuit:flecti non potuit. Hinc dicit & Paulus

Dei quę est in Christo Iesu Domino nostro. Ex quibus manifestum est quod donũ fortitudinis tantum roboris & constātię pręstat,vt tali dono pręditus potius mori exoptet quàm aliquod peccatum mortale spontè scienterque admittere.

Quam ob causam ad hæc omnia difficilia supra naturalem facultatē sustinenda promptum & expeditum reddit hominē fortitudinis donũ,idq; propter fiduciā, quā præstat homini, imminētia quæcunq; euadendi pericula & ad cuiuslibet operis perueniendi finem,nimirum vitam æternā, quæ omnium bonorũ finis est operum,omniumq; euasio periculorum. Ibi enim sancti neque labores neq; mala metuunt:sed ab illis planè securi existũt: atque hac securitate eaq; plena ibi perpetuò perfruũtur.hinc bene dixit Gregorius cap.32.primi libri moralium: Quod fortitudo dum aduersa non metuit trepidanti menti confidentiæ cibos apponit : per cōfidentiæ cibos fiduciam euadendi quæcunq; pericula & perueniendi ad cuiuslibet operis finē intelligens.Hanc fortitudo quę virtus est,dare non sufficit,sed dumtaxat fortitudinis donum. Deinde huius doni actus est æquo-animo persecutionē propter iustitiā ferre.de quo Matth.5.A,Beati qui persecutionē patiuntur propter iustitiam,quoniam ipsorum est regnum cælorum.Odium enim hominũ propter iustitiā patienter ferre,fortitudinis est.

Huic opponitur audacia & fortitudo virium humanarum & mundi, quæ in se, in armis suis & quadrigis suis confidit, qualis extitit Goliath spurij & Pharaonis regis Aegypti audacia.Hæc adeò virtus non est,vt vitium reputetur. hinc admirabilis illa Romanorũ fortitudo pietate destituta,nullā apud Deum meretur laudem, nec vitæ æternæ adipiscetur coronā. Cęterum donum fortitudinis à Spiritusancto in adiutorium datur virtuti cardinali, quæ eodem appellatur nomine fortitudo: nam hanc donum fortitudinis adiuuat & perficit.

Verum quia sæpè fortitudo si improuida fuerit & minùs circa vitia circũspecta, sui præsumptione in casum ruit,ideo ad consiliũ ascendat necesse est:vt prouidendo pręmuniat omne,quod agere fortiter potest: nā fortitudo valde destituitur, nisi per consiliũ fulciatur.vnde iam de dono consilij agēdum est.Est igitur consilij donum habitus infusus,quo quis pręhabita rationis inquisitione naturaliter ad auferendam dubitationis anxietatem insufficiente,supernaturaliter dirigitur,in-

struitur,

ſtruitur,& illuminatur à Spiritu S. ad inueniendum in particulari re dubia,ardua tamen,quid pro certo ablata dubitationis anxietate,quæ cũ modo & menſura temporis debita præceſſit,ſecundum regulam iuris diuini agendũ ſit, vt homo ſalutem conſequatur.Vnde manifeſtũ eſt quod conſilij donum non determinatorum,ſed dubiorum:non minimorum,ſed arduorum:non vniuerſalium, ſed particularium eſt,de quibus meritò cum menſura temporis debita & modo inquiſitionis legitimo conſultandũ eſt .Quapropter bene dixit Gregorius cap.32.primi lib.moralium:Quod conſilium prçcipitem eſſe prohibet atq; animum ratione replet. Dicitur autem conſilij donum animũ ratione replere, quia quod in nobis ſecũdum naturalem facultatem efficit rationis inquiſitio:hoc vbi naturalis facultas nõ ſufficit,ſupernaturaliter in re particulari dubia,vt certi quid inueniamus,præſtat lumen & inſtructio Spiritusſancti. Quare donum conſilij lumen Spiritus S.eſt, quo non temerè ferimur,ſed ſingula quæq; cautè proſpicimus,ne dum ſtudio cæleſtiũ ducimur,aliorſum rapiamur. Vnde hoc Spiritus S.donum non ſolùm conſiliario,verũetiam omni homini ad ſalutem æternã peruenire volẽti ſummè neceſſarium eſt.Quod vt quis obtinere poſſit,ſummis precibus à Deo efflagitare debet. Per iſtud namque donum diſcit homo ſeipſum reſignare,mortificare,atq; ad terribilia,occultaq; Dei iudicia perferenda hilariter ſeſe offerre,& iuxta Dei beneplacitũ ſeſe gerere.Cæterũ huic dono opponitur conſiliũ humanũ,cuius ſcopus non eſt Dei gloria, ſed rerum mundanarum vanitas: & quo quis quærit quæ ſua ſunt, non quæ ſunt Ieſu Chriſti & aliorum.de quo dicit Dauid Pſalmo 32.B, Dominus diſſipat conſilia gentium : reprobat autem cogitationes populorum:& reprobat conſilia principum. Quamuis autẽ donum iſtud quoad dubitationis anxietatem in Chriſto non fuerit:tamen quoad lumen iſtud & rerum agendarum certitudinem in Chriſto extitit, & inæternum erit. huic Dauid Pſalmo 32.B. prædicto ſubiungit : Conſilium autem Domini in

SED quia cõſilium eſſe non poteſt,ſi intellectus deeſt:ideo à conſilio ad intellectũ aſcendamus oportet. Donum igitur intellectus habitus eſt infuſus, per quem potentia intellectiua capit & penetrat profunda Dei nobis per Spiritum S. in ſcripturis reuelata. In eo autem quod arcana Dei penetrat,mẽtis noſtræ tenebras illuminat. Eam ob rem bene dixit Gregorius cap.32. primi libri moralium: Quod intellectus in die ſuo conuiuium parat, quia in eo quod audita penetrat reficiendo cor tenebras eius illuſtrat. Ea propter huius doni effectus eſt eſſe mundo corde,modo loquamur de illa cordis munditia,per quam mens & à prauis phãtaſmatibus & à peruerſis purgatur erroribus: & qua efficitur vt ea, quæ de Deo proponuntur,per modũ corporaliũ phantaſmatũ, & per hæreticas prauitates non accipiantur.hanc inquã cordis munditiã efficit donũ intellectus.Proinde donũ intellectus ablatis cordis tenebris mẽtem illuſtrat,vt homo etiã in hac vita poſitus prælibationẽ futuræ manifeſtationis accipiat: vt clarè & limpidè intueatur ea,quæ ad diuinã & ſupernaturalẽ creatoris & creaturarũ cognitionẽ pertinent.Exẽpli gratia,Fides facit videre,non quidẽ manifeſtè,ſed quaſi per ſpeculum & in ænigmate: donum autẽ intellectus aliquo modo limpidè & clarè. Idcircò donum intellectus virtute theologica fide, cum qua in materia conuenit,perfectius eſt.Quod quamuis verum ſit, quantum ad maiorem manifeſtationem,non tamẽ quantum ad certiorem inhęſionẽ: quia tota certitudo doni intellectus procedit à certitudine fidei, quæ eſt principium eius, ſicut & reliquorum donorum Spirituſſancti. nec ſolùm fides,verumetiam ſpes & charitas,pręcedũt omnia hæc Spirituſſancti dona. Eapropter donum intellectus, non niſi in homine charitatem habẽte reperiri poteſt.nam ſpiritalem intellectum eloquiorum Dei,quæ dulciora ſunt ſuper mel & fauum,cor immundum penetrare non poteſt.Quæ enim participatio iuſtitiæ cum iniquitate? aut quæ ſocietas luci,cum tenebris? Aut quæ conuentio Chriſti ad Belial? Quare impoſſibile eſt immundam animam,quantumuis lectionis inſtantiæ deſudauerit,adipiſci intellectum ſcientiæ ſpiritalis. Et ſimiliter omnia alia Spirituſſancti dona non acrimonia ingenij,ſed munditia cordis:non legendo,ſed orando: non reuolutione librorum, ſed continua virtutũ exercitatione & Spirituſſancti vnctione acqui-

acquiruntur. Vnde & nos legis ipſius intellectum,non ipſius lectionis induſtria, ſed magiſterio & illuminatione Spiritus S. quotidie deſideramus adipiſci,dicentes ad Dominum: Vias tuas Domine demonſtra mihi,& ſemitas tuas edoce me. Et, reuela oculos meos: & conſiderabo mirabilia de lege tua. Et, doce me facere voluntatē tuam:quia Deus meus es tu.Et iterum,qui docet hominē ſcientiam.Hac de cauſa nō quicunq; intelligit,donum habet intellectus: ſed qui ex habitu gratiæ gratū facientis,qui prærequiritur,arcana ſcripturæ ſacræ apprehendit,donum intellectus aſſequutus eſt,nec quiſquā eſt, qui hunc habet gratiæ habitū, quin habeat & intellectus donum.Quod nunquàm in homine in gratia exiſtēte ſe ſubducit in neceſſarijs ad ſalutē.Interdum autē bene in non neceſſarijs,vt materia ſuperbiæ ſubtrahatur.Cæterū quamuis potentia intellectiua habeat duos actus, ſcilicet percipere & iudicare:tamen donum intellectus dūtaxat ad priorem,nimirum ad percipiendum ordinatus eſt. Sapientia verò & ſcientia ad iudicium. Proinde dici poteſt quod ſapientia & ſcientia ſunt prçceptoris: intellectus verò diſcipuli & auditoris. Quare vt docens ſpiritum ſcientiæ & ſapientiæ, diſcens verò ſpiritum intelligentiæ accipiat,rogandus eſt Deus.

Denique quia valde inutilis eſt intellectus,ſi ſapientia non ſubſiſtit;ideo iam reſtat ab intellectu ad ſapientiam aſcendamus,vt hoc quod acutè intellectus apprehendit,ſapientia maturè diſponat. Eſt igitur donum ſapientiæ rerum diuinarum cognitio.Vel ſi mauis,habitualis quædam perfectio mētis humanæ, per quam potentia intellectiua rectè iudicat de rebus diuinis.Proinde de rebus iudicare diuinis doni eſt ſapientiæ, non autem fidei,cuius actus eſt auditis aſſentire:quod natura prius eſt quàm iudicare. nam iudicare, eſt determinare illud ſic eſſe,vel eſſe debere,quod non facit niſi is,qui natura prius aſſenſum præbuit, & ſeipſum determinauit ad alterā contradictionis partem.Quare & ſapientia natura poſterior eſt fide: nec ſolū fide, verumetiam ſpe & charitate: quemadmodum & reliqua Spiritusſancti dona. Quamobrē qui dicunt ſapien-

Igitur & ſapientia, cùm oppoſita circa idem fieri nata ſint, in intellectu eſſe ſtatui debet. quod autem Eccleſiaſtici primo, B, dicitur: Dilectio Dei honorabilis ſapientia, cauſaliter exponi debet hoc pacto: dilectio cauſa eſt honorabilis ſapientiæ. Quamuis igitur donum ſapientiæ cauſam habeat in voluntate, nimirum charitatem: tamen eſſentiam habet in intellectu. Similiter quanquàm delectatio & ſuauitas qua in cognitis delectamur, & quam efficit ſapientia in affectu ſit: non tamen ipſa ſapientia. Rogabis fortaſſis an ne ſapientia etiam circa res creatas verſetur? Reſpondeo quod ſic, modò id fiat per regulas diuinas. nam per regulas diuinas de rebus iudicare creatis magis ſapientiæ quàm ſcientiæ eſt. Hinc donum ſapientiæ dici poteſt habitus infuſus per quem intellectus ſeu potentia intellectiua dirigitur ex inſtinctu Spiritusſancti ad rectè iudicandum, de rebus quidem diuinis principaliter, ſecundariò verò etiam de alijs, modò id fiat per regulas diuinas. Vel ſapientia eſt habitualis animæ diſpoſitio, qua mobilis eſt ex inſtinctu Spiritusſancti ad iudicandum de rebus creatis & increatis ſecundum altiſsimam cauſam. Ex quibus manifeſtum eſt quòd priora tria dona hominem bonum & ſanctum efficiunt, cætera verò prorſus diuinum atq; cęleſtem.

FINIS.

EXCVDEBAT CHRISTOPHORVS PLANTINVS ANTVERPIÆ, ANNO M. D. LXV. IIII. IDVS IANVARII.